J. MICHELIUS
APOLOGIA
CHYMICA

1597








DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 1002
COLLECTION

4


APOLOGIA CHYMICA,

ADVERSVS INVECTIVAS ANDREÆ LIBAVI CALVMNIAS,

In qua impostura eius detegitur, dum Chymicarum operationum ignarus *suo libro sub falso, ac emẽtito titulo*, de Chymicis operationibus inscripto, *mortales deceperit. ostenditurque, & qualis, sit vera illa vniuersalis medicina Chymica, & quomodo cõponi debeat. nec non plurimi medicorum vulgarium errores declarantur.*

AVTHORE

IOSEPHO MICHELIO, Patricio Lucensi Medico.



MIDDELBVRGI,
Excudebat *Richardus Schilders*, Zelandiæ Ordinum Typographus. 1597.



ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI *MAVRITIO*, COMITI A *NASSOV*, CATZENELEBOGIÆ, *Vianæ, Dieſt, &c. Marchioni Veræ*, Domino Vliſsingæ, &c. Confœderatarum Prouinciarum Gubernatori, & Maris Admiralio generali in tractu Belgico,

IOSEPHVS MICHELIVS
Patricius Lucenſis,
S. P. dicit.



I nulla eſt omnino præclara virtus, Illuſtriſſime ac Generoſe Princeps, quæ nō emulationem quandam habeat, & afflatu inuidiæ attingatur, cùm virtutis comes inuidia plerumque bonos inſectetur, non mirandum erit, ſi hoc meo opuſculo, multorum ſopitum liuorem excitabo. nam cùm nullus hactenus fuerit, qui continuata orationis ſeriè, Chymicam medicinam veraci-

ter descripserit, non dubium, quin hic noster labor in varias hominum repræhensiones incurret. sed inter cæteros, præcipui erunt, qui partim indignatione, partim inuidia moti, mihi vitio vertent, quod derogans naturæ maiestati, tanquam proditor artis, aut cœlestis sigilli, ausus fuerim illam describere, veluti si artificium, à multis frustrà inuestigatum, à paucis verò inuentum, mihi impudenter arrogare vellem. verùm cùm meus scribendi finis, non fuerit aut artem profanare, aut eam arroganter mihi attribuere, & optimè sciam, neminem vnquam futurum, cuius labor, & industria, immensam iudiciorum varietatem, atque intemperãtiam expleat, ac qui ita aliquid perfectum edat, vt omnibus arridere possit, minus sollicitè maleuolorum censoriam animaduersionem reformidabo. Nam vt nihil perniciosius est, quam ea in vulgus edere, quæ nulli prodesse, obesse verò multis possunt, ita nulli hilarius, atque iucundius, ab omnibus excipi debent, quàm qui doctorum virorum, & exploratæ iamdudum probitatis scripta obscura, ac in tenebris delitescentia, illustrare conantur. Itaque cùm ab ineunte ætate,

ad

ad capularem vſque hanc meã ſenectutem, rerum ſecretiſſimarum naturam, ipſiuſque naturæ ordinem ſpectaculum omnium amœniſſimum cõtemplatus eſſem, nihil magis ad me attinere arbitrabar, quam vt ſacroſanctam hanc amplexus Philoſophiam, ducem me præberem ijs, qui ea maximè eruditione ſunt digni. cùm inexhauſtus ſit naturæ theſaurus, & deliteſcant proculdubiò plurima, quæ temporis ſucceſſu, ſagatium hominum conatibus,ſint eruenda.qua in re non video cur iure inſtitutum meum reprehendere poſſint. præſertim cùm ad officij noſtri rationem pertinere arbitrabar, omnia in mortalium vtilitatem conſumere, non vt magiſter & artifex, ſed vt naturæ inueſtigator aliquid proponerem. Feci quidem pro mea parte quod potui, dum exiguis ſcriptis aditum,ad vetuſtatem aperire bonis ſum conatus & ſpero exiſtimatores doctos,& intelligentes perſpecturos,nihil mihi magis propoſitum fuiſſe, quàm abſconditæ doctrinæ aliquid lucis adferre. itaque veteris illius artis,&iam penitus extinctæ,nouum illius exhibeo rudimentum. quod etſi tenuè ſit, & exiguum, poterit indies vſu,ac ſtudio, ma-

iora incrementa accipere. Facilius enim iam inuentis & excogitatis, alij addere, minus recte dicta corrigere, & in certum aliquem, & meliorem ordinem redigere poterunt. Neque vnquam in hanc arenam descendere fuissem ausus, nisi Libauij calumnijs prouocatus, coactus fuissem ostendere, quātum ille à vera & naturali chymica medicina aberraret. Et quamuis ex meo scripto non omnibus datum erit adire Corinthum, tamen speramus multos ab erroribus, in quibus mersi hærent reuocatos, cautiores ac prudētiores tandem futuros. Et qui in hunc labyrinthum nondum ingressi sunt, facilius sibi cauebunt, ne prolabantur. Quis enim vbiq; terrarum multorum irritos labores non defleret? Quis Christianus errores castigare, ac ad sanam mentem reuocare nō audebit? dum miseros mortales huic arti deditos, vsqueadeo vesana auri fame detineri videmus, vt potiundi cupiditate alecti, opes, honores, vitam ipsam negligant. immò adeo miseri reddantur, vt pro tribus obolis animā venalem habeant, ac in summa paupertate mendicare compellantur, & quam metallis inferre conabantur metamorphosim, in se-

ipsis

ipſis experiantur, effecti iam ludibrium populi. Id ipſum non aliunde quidem ortum habet, quam ex ſuis principijs & fundamentis, quæ nõ hauſerũt vt oportuit ex vero fonte veritatis, ſed ex oppoſito falſoque mẽdaciorum centro, eo quod finem rerũ non perpendant, nec ſuorum laborũ. Nam ſi roges in quem finem Chymicus laboret, nõ aliter reſpondebunt, quam vt aurum & argentum ad opes accumulandas inueniat. cuius tamẽ ſcopus eſt, medicinam vniuerſalem, nõ metallorum tranſmutationem producere. Vt latius oſtendemus. Itaque audendum fuit aliquid, quod in communem omnium ſalutem redundaret, repudiata omni priuatæ actionis contentione. Garriant blaterones quid velint, nos eorum dictis, qui ex ſua inſcitia aliorum ſcientiam, naturæque myſteria, iudicare volunt, minimè mouemur. Interim quicquid illud ſit, quod hac in parte præſtitimus, id TVÆ EXCELLENTIÆ offerendum eſſe duxi. quo teſtatum facerẽ, me Illuſtriſſimæ Naſſouiorũ familiæ, quã plurimum debere. Nam grauiſſimè reprehendendus eſſem, ſi alio quam tuæ Excell. auſpicio, paterer illud in publicum exire,

præ-

præſertim cùm patri ([redacted]) Prin-
cipum ter maximo, per aliquot annos inter-
uiuerim, eiuſque fauorē ſępius magno meo
cōmodo expertus fuerim. Et cùm nihil ma-
gis inoptatis haberem, quam vt ſtudiū meū
erga Tuam Excellentiam declararem, & ni-
hil occurreret quod & meis votis, & Tuæ
Excellentiæ meritis reſponderet, cogitaui
tandem qualecunque hoc munuſculum of-
ferre, quo ſaltem grati animi aliquod ſpeci-
men ederem. Id in præſentia ſi commodè
feci, eſt quod gaudeam, ſin minus, volunta-
tem meam boni conſulat. Deus opt. max.
ſua benignitate, Tuam Excellentiam cuſto-
diat ac protegat. Datum *Middelburgi* die
ſecunda Iulij, Anno 1597.





Ad Amplissimos viros Senatum, Populumq; MIDDELBVRGENSEM, IOSEPHI MICHELII Patricij Lucensis Medici Præfatio.



I quis sacrosanctam, ac diuinitus à Deo opt.max. ad salutem mortalium datam religionem, vituperare vellet, eo quod multæ hæreses, sectæ variæ, opiniones distortæ, vanæ superstitiones & ceremoniæ, errores vel potius furores, sacrilegiq; ritus indies in ea oriantur; is profectò non tantum longa erraret via, sed præposterè faciendo, sensu communi omnino carere iudicabitur. tanquam si aquam petiturus, relictis fontibus, riuulos cõsectaretur, & ex eorum aqua cœno ac luto contaminata, de fontium pura ac syncera iudicium facere vellet. Nam cùm veritas in omnem sui partem eadem sit, & in rerum & conceptuum symphonia consistat, quæ verò decipiunt, nihil habeant solidi, ita errores, dissidia, opinionum varietates, ac differentiæ, per inane circumuolutantes, & perplexa sedi-

tione inter ſeſe tumultuantes, nihil certi docent, ſed mole ac rerum diuerſitate confuſionem pariunt. ita vt aliquid certi de ſtabili veritate, quæ firmis fundamẽtis ac gradibus ad perfectionẽ tendit, ſtatuere minimè queas, vſq; adeo vt qui ſe eiuſmodi tricis inuoluunt, tãquã in medijs vndis hærẽtes, quomodo ſe extricent nõ habeant, & quid amplectãtur ignorent. Eadẽ ratione ſi quis Chymiã (poſt ſacras literas) artium omniũ nobiliſsimã, ac præſtantiſsimã vituperare ac dãnare vellet, eo quod innumeri pſeudochymici, agyrtæ nebulones, & ſcurræ, ex nõ intellectis libris ea abutantur, is nõ modò cõtemnendus eſſet, ſed ex hominũ coetu tanquã reipublicæ peſtis ac inutile terræ pondus abigẽdus. nouimus quid de ea magni philoſophi referant, quid poëtæ, quid etiã hiſtorici, quæ naturæ arcana nemo nõ ferè vana & ficta putat, & ad fallendũ inuenta, atque hoc magis quod illa ipſa artis præcepta, à quouis quotidie terũtur, & ab ijs potiſsimum accõmodantur ad vſum, & qui ingenio & diligentia parũ valent, factumq́; eſt neſcio quo fato, vt à permultis literarũ bonarũ profeſſoribus poſthabita, ac neglecta ſit. quo euenit, vt qui minus de literis meriti ſint, eã damnent ac cõtemnant: & quamuis pſeudochymici multa promittant, ac mentiantur, ac ſub ſpecie veri multis im-

imponant, cur eos ignorare artẽ, quos tales noueris, non dicis? & cur artem potius quam impostorem damnas? & vis vt omnium ſit paucorũ culpa ſcelus. Nemo enim ſanæ mentis verã religionem damnabit, ſi [illegible], Arriani, Anabaptiſtæ, ac ſimiles hæretici, eius clipeo ſe muniant, ac defendant, ſimili modo chymia nullis reſpargenda maculis eſt, illam ſi veterator, & ſycophanta, extra naturæ ſcopum detorqueat, in legis vetitum abuſum. vbi ars ipſa homini ingenuo præter honeſtam oblectationem, multa vitæ præſtet commoda. Huiuſmodi farinæ homines inter tot humanarũ rerum ruinas, plures extiterunt, qui id (ſed fruſtra) facere ſunt conati. quorum nominibus parcendum eſt, ne cum laruis dimicare videamur. cùm inhumanũ ſit, minimeq́; deceat philoſophiæ ſtudioſos, inſultare mortuis, aut aduerſus eos bellũ ſuſcipere, qui repugnare non poſſunt. verùm quia hac noſtra tempeſtate non ita nuper, Andreas quidam Libauius, in mundanã hanc ſcenã prodijt, & eo animo ad ſcribẽdũ acceſsit, vt artẽ quibuſcũq; poſſet modis ſuſpectã redderet, vbiq; chymicos falſiſsimè criminãdo, eoſq́; ſtupiditatis & inſcitiæ accuſando, exiſtimabam mihi nequaquã vitio verti poſſe, ſi viciſsim illi aliquid reponerẽ, atq; interdũ paulo acerbius in eũ inueherer,

ne videlicet aut pro veritate non ſatis fortiter pugnaſſe, aut aduerſarium eloquentem extimuiſſe viderer. id ſi cuipiam fortè aut vehementius, aut atrocius feciſſe iudicabor, is cogitet velim, quantum calumniarum in inſontes, quantum opprobriorum in vetuſtiſsimos Philoſophos, quantum vanitatis in artem ipſam effuderit. proinde eiuſmodi reſponſum extorſit potius à nobis, quam noſtra ſponte ſcribere cogitaſſemus. Quod ſi is, vt ſcribendi ocium, ſic ſciendi deſiderium habuiſſet, non eo petulantiæ euaſiſſet, vt ex invidia, decori oblitus, diſputationum ventoſa iactantia, Chymiam proſcindere fuiſſet auſus. Et quamvis aliquando ſibi malè conſcius, videatur eam laudibus in cælum extollere, vtpote à qua multa præclara in vſum mortaliũ indies prodere videamus: tamen hoc ita ironicè adornat, vt facile quis intelligere queat, quo animo id faciat. Quid autem hominem ad calumniandum impulerit, duas ex eius ſcriptis colligo cauſas: vnam vt omnibus palàm faceret, quam eſſet in Græcis ac Latinis literis verſatus. Alteram quod Logicæ nimiũ addictus, & argutiunculis ſophiſmatibus immerſus, cætera quæuis reſpuere videtur. adde quod liuore quodam in Paracelſum *&* Grammanum *percitus, ac de ſe ipſo multum præſumens, cùm ar-*

tis Chymicæ prorſus eſſet ignarus, ac illam quidem olfeciſſet, ſed minimè deguſtaſſet, eam quam non nouit artem, arroganter damnare voluit, vt gloriam occaſione refellendi ſibi apud poſteros præpararet, tanquam ſi vana aut nulla pœnitus eſſet ſcientia, vt ſic alijs paulò plus ſapere videretur. cùm tamen non in eius ſcientiæ principia, quæ ignorat, ſed in homines malos eorumq́ue vanos abuſus argumentorum acumina ſpicaláque dirigat. Et dum pulchro ſanè, & felici ſtylo, manibus pedibuſq́ue labefactare ac conuellere artem credidit, vanorum hominum commenta, ac impoſturas funditus diſſoluit, ac diſſipat. Rectius fortaſſe feciſſet ſi operã impendiſſet, non in confutandis malignorum vel imperitorum delirijs, ſed veram latẽtemq́ue priſcorum Philoſophiam, quæ propter obſcuritatem non quoſlibet admittit, ab immunditijs nugiſq́ue expurgatã, & tenebricoſis exutam velaminibus, aperto cœlo ſuis commentarijs reſtituiſſet. Sed crede mihi, homine imperito nunquam quicquam iniuſtius, qui niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat. nemo profecto cæcus de coloribus iudicare poteſt. eiuſmodi homines qui nihil niſi quod ipſi faciunt, aut dicunt, aut amant, rectũ putant invidia moti omnia dente canino rodunt: ſed damnent quantum velint ve-

teres illos sapiētissimos, qui de chymia optimè meriti sunt, quos non opus est in mediū adferre, perlegant tantum ac intelligant quæ recte memoriæ prodiderunt. ex eo res apertè satis, imò luce clarius constabit, eos rectè & sensisse & scripsisse. Erant olim alchymiæ professores viri sapientissimi, reges, ac summi principes. id quod historias tēporum legentib. obscurum esse nō potest. Semper enim apud omnes homines in maximo honore fuit: siue enim dignitatē eius, siue præstātiam, siue vtilitatem, siue necessitatem cōsideremus, reliquis certè omnibus artibus superior inuenietur. quia tanta in ea arte est vtilitas, vt sine ea duce, & magistra, nihil magnū, nihil suaue percipi, cognosci, aut intelligi queat. cū totius naturalis philosophiæ fons sit, & origo. quo fit vt à quibusdam vere ars liberalis homini digna nūcupetur. eo quod eam vtpotè dignissimā, ac nihil in se habens seruile, nulli licebat discere nisi liberaliter educato. sed quis eam satis pro dignitate laudare queat, quādo Dei donū etiam dicatur. cùm post legem diuinā in qua salus cōsistit, à summo Deo in hoc mundo homini nihil dignius aut præstabilius, aut admirabilius collatum fuisse constet. in qua tota natura eiusq; effectus ita apertè perspiciuntur, vt diuinam potius quam humanā esse fateri cogamur. cùm nullus ad

eam

eam peruenire posit nisi aut diuinitus illuminatus, aut viua voce edoctus. vnde rectè Thomas Aquinas *hanc scientiam hominem pium aut inuenire, aut facere tradidit. nam eius contemplatio naturam intus ostendit, ac eximiam diuinæ munificentiæ admirationem, & gloriam exprimit. adde quod in ea Christianæ fidei mysteria, ita relucent vt futuram nostram resurrectionem, tanquam in speculo conspiciamus. Sed supervacuum videtur id laudare, quod vno ore, omnes prædicant. tantum enim abest vt nostra Chymia commendationem requirat, vt absque externo lenocinio splendorem suum facile tueatur. cum suis opibus satis fulta sit & insita quadam rerum varietate atque voluptate mirabiles sui amores in hominum animis excitet, foueat atque relinquat. neque in tanta ingeniorum varietate vnquam hostem habuerit, exceptis paucissimis scientiarum cõtemptoribus, qui insatiabili dicacitate obcæcati, nihil preclarum ducunt quod non ex eorum officina prodierit. Et si vellem cuncta complecti, quæ de ipsius laudibus excellentia ac dignitate, meritò dici possunt ac deberent, difficilius multo esset exitum, quam principium inuenire. quia nullum est adeo fœcundum ingenij flumen, nulla tam studiosè affectata oratio, quæ vere*

huius laudis aut speciem aut magnitudinem comprehēdere possit, quare præstat non tam longè quesitis encomijs persequi, quam solo silentio numinis instar venerari. Hoc tantum addam, nihil esse inter mortales quod adeo repente exornet, nobilitet, & demum Medicum clarum ac famosum reddat, quam Chymia. & qui illam ignorant, nullam Philosophiæ aut Medicinæ, nullam vel naturalium rerum cognitionem habere posse. Hodie, quod indignans dico, sacram hanc scientiam ignari, & profani contemptores, verbosa nudaq́; dicacitate, sic dehonestant, tanquam si nulla esset ars, sed inutilium nebulonum ac agyrtarum inventum, imponendis hominibus excogitatum. Vnde non immerito Fabium illum clarum pictorem verè dixisse percipimus, tum demum artes fore beatas, cùm de his artifices iudicarent. Hinc fit vt nunc temporis Chymia sit infœlicissima, quia non solum ab artificibus non iudicatur, verùm ipsi artifices, ab inertibus condemnati, multorum calumnijs expositi, iacent. Et quamvis non dubitem venturum diem, quæ strepidulis his cicadis, silentium pacis imponet, tamen quia eiuscemodi scriptis bonarum artium studiosos non nutriri, sed obrui, & à vera scientia arceri viderem, operæpretium me facturum arbi-

arbitrabar, si eorũ obtrectationibus obviam irem, ac pari stilo calumnias & invectiuas libauicas veris rationibus refellerem, nec non abhorrentes ab hoc diuino studio invitarem, & quasi dux itineris ne desperent animarem, nec me preterit multos futuros, qui opinionibus iam imbibitis vix aures accommodabunt, speramus tamen non defuturos qui via veritatis proposita acquiescent. nemo igitur ex verbis aduersarij sine aliqua ratione stultè, temerè'q; prolatis, diuinam scientiam condemnandam existimet, sed pro suo quisque ingenio, Chymiæ libros lectitando, vel ab alijs discendo, quanta sit eius doctrina, quanta dicendi vis animadvertat. non nudam literam amplectatur, sed ex intimis naturæ penetralibus, obscurum sensum eruere studeat. ita quidem ipsam scientiam veram, iustam, & facilem, adversarij verò calumnias falsas & iniquas ac penè detestabiles esse comperiet. & quã doctrinam gladio plumbeo iugulare conatur, in suum caput recidere. Hoc verò patitur ignauissima hæc ætas nostra, vt omnes sibi vsurpent scribendi officium, & si quis pingere aliquid in menbranis nouit, manuq; calamum versare didicerit. scriptor habeatur, nec refert etiam si nulla frenatus lege, nullo probatus examine, nulla scientia clarus, sine in-

iudicio ac delectu ad calamum festinans ruat. tanquã si cuncta vastantibus proposita essent præmia. modò particulam libri intellexerit, aut intellexisse sibi visus fuerit, illico libros scribere, & commentaria exarare, quibus iter sequẽtibus aperiat, minimè dubitat. Hæc authorum inscitia inertiaq́; vera falsis miscentium, quantã bonis ingeniis adferat pestem, cogitare quilibet, facilè potest. sed si plebeis scriptoribus, pro affectu nudo gratiã aliquando habitã scimus, eo quod iter posteris aperuisse visi sunt, quãta gratia digni sunt, qui non solum velum veritati obducere, verùm qua possunt loquacitate contrario sermonis studio, occultare ac deprimere eam studẽt. non est res parui momenti, temerè ad vituperandum prosilire, maledicendi enim libido, vt propriè dicam, morbus ac pruritus quidam linguæ mobilis, ac quietis insciæ est: cuius frenum & custodia inter opera perfectionis eximiè numerantur. verùm linguam nullus hominum domare potest, sed ad mentiendum illa quotidiè nos sollicitat. Ita vereor ne noster Libauius, vinctus suis affectibus, inanes rerum imagines, pro verissimis admiretur, ira profectò & conuicio dignus. nam quis quæso, ingenuus lector, seu quis homo, & non potius bellua, delectari queat eiusmodi oratione antigrammania mẽdaciis

daciјs ac impietate fœdiſsima, referta. vbi ſub religionis prætextu, nihil humanum ſit. verbaq; ipſa iracundia, ac furore obſita, confuſiſq; clamoribus efferatæ, nullam humanitatem ac morum decorem præ ſe ferant, tãquam ſi omnis gloria in conuitijs & ſtrepitu ſita eſſet, verùm nihil crebrius quam contemni ſapientem, ab inſanis. ſed quid mirum? quis vnquã veritatis amator, hoc exercitio caruit. percurre animo omnes terras, omnia ſecula, cũctas hiſtorias euolue, vix inſignem virum hac immunem peſte reperies. Dum hæc dico nolo propterea aut Paracelſi aut Grãmani ſcripta, aut comere aut carpere, cùm non ſit ingenui viri hominis nihil cõmeriti famam cõfictis mẽdacijs lacerare. Hoc tantũ aperta fronte dicere ac tueri non dubitabo. multa Paracelſelſum penè diuinitus in re medica docere, & quæ nunquã ſatis admirari & prædicare grata poſteritas poterit. quod verò ad Grammanũ attinet, nõ ita à ſcopo aberrare videtur, ſi nõ ſolũ vulgariũ medicorum errores, ſed ipſum Gal. repræhendat, & qui numen illud tanquam ab errore immunem venerantur, hallucinari certè in meridiano ſole videntur. quaſi verò mẽtes hominũ liberæ captiuæ detineri aliorum inuentis deberent. homo fuit ergo ab hominum natura nequaquã alienus, errare igitur, falli,

falli, decipi, nobiscum commune illi fuit: imò tanto facilius, quanto verò lumine destitutus, infidelis fuit. quid enim illi innotescere veritatis potuit, extra cognitionem eius qui veritas est? itaque eius errata si quæ nobis occurrunt candidè, & beneuolè emendari cupimus. tantum abest vt eum sua laude spoliare cogitemus. cuius opera multa præclara, in re medica manifestata esse agnoscimus. sed non omnia possumus omnes. præstitit quantū potuit, in multis cæcutiuit, & ipse Archigenem reprehēdens, inquit, χαλεπόν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα. cur nō de ipso ac aliis id ipsū dicere licebit, nec credo tantū sibi tribuisse Galen. vt nō errare posse arbitraretur, aut nusquam se errauisse putauerit. idcirco non est quod adeo strictè iuremus in doctrinam illius, ac eius solius adoremus ac suspiciamus oracula. nam certè quod inanibus qualitatum vmbris, ac temperamētis, facultatum & actionum efficientiam tribuat, quomodo defendi cum ratione possit, non video. vt interim taceam, confusam ac imaginariam humorum doctrinā. de quibus postea latius. Cùm itaque sacratissimæ artis Chymicæ, tantæ in medicina sit

digni-

dignitatis, atque vtilitatis, præclare mihi de mortalium commodis, qui in hac illustranda omnes ingenij sui neruos intenderunt, premeriti esse videntur. quæ res me mouit vt libenter hoc onus suscipere rem. sperans detecta veritate, laboriosam illam ac molestam, quam in legendis authoribus nonnulli collocant operam, leuiorem me redditurum. Hanc Præfationem Amplissimi viri vobis dedicare duplices me impulerunt causæ. Vna est, quia dum Gubernatores celeberrimi totius Europæ emporij, à Deo estis constituti, multique ex varijs regionibus ad illud confluant, non statim eos admittendos esse iudicarem, qui Chymiæ titulo ornati, tanquam Asini pelle Leonis suffulti, montes aureos sine auro, & morbos pro sanitate vendere satagunt. neque etiam arcendos, qui veram illam, paucis cognitam, iuuare, ornare, ac illustrare omni industria conantur. altera erat, vt hac ingenij mei fœtura, grati animi aliquod specimen ederem, & beneficiorum vestrorum memoriam in referenda gratia, testatum relinquerem. quæ etsi expectationi vestræ non satisfecerit, studium tamen quo adductus fui declarãdæ meæ erga vos obseruantiæ non aspernabimini. Cùm enim ex Anglica peregrinatione reuersus, sub tutela vestra me nunc latere sit concessum,

ingra-

ingratitudinis crimen ſine dubio incurrere potuiſſem, ſi ne verbulo quidem quo erga vos bene de me meritos ſim affectus, declararem. propter ſummam illam [illegible]ian, in hominum ſocietate maximè neceſſar[illegible]ia non ſolum plurimas nationes, ac reſpublicas ſuperatis, verùm immortale hominum laude digniſsimum beneficentiæ nomen, apud exteros reliquiſtis. quis enim tantam veſtram humanitatem, æquitatem, pietatem, non exoſculabitur? quis beneficentiam, qua aduenas perpetuo iuuatis, ornatis ac fouetis, non admirabitur? quis iuris cũ æquitate adminiſtrationem, rerum publicarum præcipuum ornamentum, quo ipſa hominum ſocietas creſcit atque conſeruatur, non amplecteretur? quis Chriſtianam religionem, cum morum rectitudine non laudabit? dum videt diſsipatas eccleſiæ reliquias, aliundè expulſas, tanquam lacera membra à vobis benignè collectas indies foueri, ac eorum neceſsitatibus ita ſubueniri, vt omnibus Chriſti Eccleſijs admirationis materiam magis, quam imitationis ſpem reliquiſſe videamini. non enim poſtrema gloria alicui ciuitati vel nationi eſt, repudiatis Antichriſti corruptelis, Euangelij luce ſuam adminiſtrationem exornare. quid enim maius, excellentius, dignius, durabilius, magiſque ſalu-

ſalutare? quam Dei verbo regenerari cultores eius cum æternæ vitæ participatione fieri. teſtatur enim ſua voce Deus pias reſpublicas, & veræ religionis hoſpites, ac receptac[...] non t[...] hac vita ſe præmijs ornaturum, & ſubd[...] placidam gubernationem, ac neceſſariarum rerum affluentiam eis largiturum: ſed etiam poſteritati eorum clementer adfuturum. In hoc certè latiſsimo laudis campo ſi quis verſari vellet, vereor ne tanquam in ſylua errabundus, exitum reperiat. quare ſatius eſt ſilere, quam ieiuna mea oratione dicendo extenuare ea, quæ nunquam ſatis pro dignitate celebrari poſſunt. quid enim de veſtra virtute dicturus eſt quiſquam, id virtus quin ſuperet veſtra. Hoc igitur Ampliſsimi viri, qualecunque ſit, æqui boniq; conſulite, donec maiora (fauente Deo) prodibunt. Cui ſoli honor & gloria.



Sequitur responsio ad Libaui epistolam Crenandro scriptam, quam facilioris responsionis gratia in plures partes diuisimus.

VAlde placuit mihi tuum Crenander *studium, postquam conspexi te non vulgariter Philosophiæ & Medicinæ adycientem animum, quasi ad cupiditatem, qua ad sciẽdum res præclaras natura duce ferebaris explendam quæuis satis esset notitia, sed aliquid solidius diuiniusq́; vestigãtem sommo cum conatu ad abstrusa à vulgoq́; remota contendere mysteria naturæ. Huc tyrocinium tuorum spectarunt anni: huc postquam honores ex virtute doctrinaque præstante consecutus es amplissimos incredibiliter aspiras, cumque cognoueris inter Chymiæ professores, quemadmodũ prodigiosa illa testantur præconia, aliquid singularis, & maximè secretæ latitare sapientiæ, ad quod peruenire non cuiuis fas sit, propterea quod, licet ipsi inter se sat differant aperte, consuetaq́; vtantur & scriptura: tamen exteris omnia significent tectè per literas, quas Hieroglyphicas olim, Ægyptiorum nominarunt Philosophi, qui artis illius & inventores duce Hermete quodam ter maximo creduntur, & ampliatores perfectoresq́;. totum te huic professioni*

con-

consecrare, & in abyssum eius scientiæ demergere, quantum animadverti, decrevisti. verùm enimvero sicut Philosophi, cùm illum ardorem & medicinæ sitim cõmendauerim: ita in Chymia μηδὲν ἄγαν fieri debere contenderim, & cum Catone literas quidem Chymicas inspectandas delibandasque, sed non perdiscendas, adeo vt cuius te credas magistro, & absque iudicij acrimonia sectère, verumq; putes quidvis suaserim. An ignotum tibi potest esse quantum huic arti, sicut olim exorientis Euangelij lumini, contradicatur. locorum vtrique tam à summis quam ab imis? Nati & veri Dei religioni sumus; & humanæ societati colendæ, iuvandæ, tuendæque. Stationẽ hac deserit, parúmq; sortis suæ memor est, quisquis in solitudinem fornacum Chymicarum ingressus inter Vulcani latet tripodas, & quasi nec diuinorum officiorũ nec humanarum rerum ad se pertineret cura, posthabita sacrarum literarum lectione, iuris ciuilis inspectione repudiata, & legum domesticarum sanctione neglecta, cum flammis prunisque conversatur, colluctatur fuliginibus & nidorum acumine sensus perdit. Si accedas, & quid rerum geratur, explorare velis, non accipias responsum illud liberale, quod olim in casula sedens, se accedentibus dedisse

fertur Heraclitus : *Ingredimini; nam & Dij hic habitant : sed torua fronte & titanicum prospectante vultu morosè aspereq́; excipiaris : mox etiam sus, canisq́; audias, qui sis ab illis arcendus margaritis, & vel flagrorum verbere à templo illos abigendus. Si qui in transcursu vrbis vrbanitatis quiddam, aut conspectu ciuis semiviri ciuilitatis arripuerunt, illi te verborum inanitatibus detinent, & tricas apinasq́; immensis extollendo laudibus ita dementant, vt, cùm nihil nisi murmura manium, & portenta strepitus Vulcanij audieris, mirificè tamen tibi placeas, putesq́; eximium quiad nosce cùm scias nihil, id quod vere est à sæua illa Dea Circe potentibus dicterijs ex hominis facie in arrogantem transmutari Leonem, qui postea socios aliquando suos rugitu denteq́; persequatur hostili, tantùm abest vt illis, quod lex naturæ exigit sit emolumento. Iam tu intelligis ipse hominem exuisse eum, qui humanum dedidicit morem, quique finem non amplius seruat spectatque suum, eum ad bestiarum vel aliam quampiam defecisse transijsseque familiam. Sed nolo apud te in epistola ambitiosè declamare. Nuda saltem argumentorum produco pondera.*

Respon-

Reſponſio.

FActurus ne eſſem operæpretium ſi tuis ad Crenandrum literis reſponderem doctiſſime Libaui, animo dubius iam dudum hæſi. nam cùm in eiſdem nihil præter meras inuectiuas, & inania verba, contortas etiam in peruerſum ſenſum authorum ſententias, contineri viderem : indignum eſſe iudicabam, fœminarum in morem, contra verboſos cõtendere verbis. verùm quia virus ſcriptorum tuorum indies ſerpere, ac graſſari conſpicerem, ac animi tui morbum, partim publica fama, partim ex tuis ſcriptis exploratum haberem, & te per totã ætatem, contendendi magis ſtudio, quam veritatis amore correptũ, non potui diuturniori ſilentio vti. quin immò mei muneris eſſe exiſtimaui, inſulſis tuis ineptijs obuiam ire, ne ſilentio meo veritatis claritas ſuffocaretur, & tu verborum ſplendore ac pompa ſuperbiens, vel potius animi magniloquentia tumidus, ante victoriam encomium caneres. Et quamuis in ſequenti epiſtola, ſeu potius inani declamatione, ſeditionem literariam, in priori ex-

citatam te componere, ac Chymicum ſuo ſplendori reſtituere velle ſcribas, tamē quia id tam frigidè ac languidé aggrederis, ac ita te excuſes, vt ſemper vtaris officio accuſatoris, nec ceſſes à detractione, magiſque in vanos Paracelſiſtas calamum ſtringas, quàm vero artis fundamento priores inuectiuas lenias, atque mitiges, volui paucis reſpondendo oſtendere, quam inconſtanter per tuam ambitionem (quæ eſt perpetua diſcordiarū mater) veritatis ſimplicitatem contemptui haberes. Quod verò ſtudium Crenandri tibi placuiſſe ſcribis, eſt quod ex animo tua cauſa omnes gaudeamus, cum detractoribus aliorum virtutes ferè putere ſoleant. verùm quod illum à Chymiæ ſtudio deterrere, & ex profeſſo de vituperijs artis Chymicæ tractare ſatagis, plurimum doleo, neceſſe enim eſt, vt veris rationibus ſint deſtituti ij, qui ad calumnias refugium tanquam ad aſylum quærunt. Si enim de Chymia vulgi iudicium approbans, qui ſtudium eius vt vanum, vt inutile, vt incertum, vt impium, & quod non raro falſa pro veris, & ignota pro notis ſectatoribus ſuis polliceatur, ſequeris,

ris, tibi ipsi magnam iniuriã facis, quod cùm alijs quamplurimis eam susceperis prouinciam ex qua triumphum stultitiæ ac ignorãtiæ reportabis. quasi verò ad solem obscurandum sufficeret muscarum conspiratio. nam si Chymia quæ ars est, medicinam vnicam facere docens, tibi est ignota, quã modo destillatricem, modò spagiricam, modò Metallurgicam cõstituis, qua fronte improbare audes artem quam ignoras? Et calumnijs ac odio damnare, quæ laudem promerentur? Scio Chymiæ artifices, ac studiosos ceu impostores sophistas ac illustres irrideri, & proscribi, quasi vanis pollicitationibus hominibus imponerent, ac inani spe lactarent. verùm omnia illa, aliaque multa, quæ falsò huic studio ab imperitis in iudicandis rebus leuitatem ostentantibus indies obtruduntur, nõ tanti penes te debebant esse pon deris, vt artis præstantiam certitudinem, & in rebus gerendis constantiam, ac denique etiam vtilitatem eorum dicterijs postponeres. quoniam plerique horum nõ ipsam veritatem, sed simulachrum eius stolida opinione fundatum amplexantur. Etenim non

raro vſu venire videmus, vt quæ diuinitus nobis ad vitæ vſum, & ad benè beatèque viuendum ſunt comparata, ea ipſa vel hominum impiorum abuſu, vel ódio, aut inuidia inutilia & pernitioſa videantur. Si enim ſcientia differendi, ſophiſtarum impietate ad falſi confirmationem, in abuſum veniat, ipſane ars vituperanda erit? Oratoria facultas, è medio ne tollenda erit, ſi aduocatus in malam cauſa eam accõmodet? quia igitur in hanc ſecretioris naturæ contemplationem, homines vt plurimum obtuſo ingenio, indocti, ac malis artibus imbuti, accedunt, culpanda ne erit ea ars cuius tot tantaque commoda non ſolum in rerum naturalium admirabili comtemplatione, ſed morborum difficilium curatione propoſita ſunt? Eſt enim Chymia (vt iam diximus) ſcientia, quæ ipſas rerum inanimatarum vires formas, & ſubſtantias miro ingenio, ac arte inveſtigat, in vno tamen ſubiecto pedem figens ac firmans, ex quo medicinam vniuerſalem conficere docet. Et qui hanc artem penitus damnare, execrari audent, tot veterum eorumque maximorum virorum authoritate

com-

comprobatam, quales ſunt Hermes Triſmegiſtus, Geber, Lullius, alijq́ue complures quorum teſtimonia & authoritate & argumentis vſu denique ipſo confirmata, grauiora ſunt quam vt dicterijs infirmari poſſint, nónne putidos calumniatores iuſtè appellabis? & de caterua eorum eſſe deces, qui cum ipſi rem ita arduam, vel ignauia, vel mentis hebetudine non valuerint aſſequi, conatus aliorũ homiuum ſummoperè cõtemnunt? Et licet prodigioſa ſint Chymicorum præconia, & Hyeroglyphicis non ſolum literis ſed & fabulis, ac ænygmatibus, plena ſint omnia, ac ita ſcripta vt ſuis tantum non omnibus tradita eſſe videantur. tantum abeſt vt ea Crenandrum arcere, quin potius curren-ti calcaria addere debeant: nam quanto difficilior ad eam aditus apparet, eo intentius ac maiori cum ſtudio, vnumquemque conari debere exiſtimo, quo facilius illa tam abdita aſſequatur, præclaros in eo ac ſtrenuos imitãdo milites, qui periculoſiori in bello robuſtiores fieri ſolent. Et quanto obſcuritas maior apparet, tanto plus creſcere debet deſiderium, ac diligentia, vt conſtanti

aſſiduitate, vigilijs, indefeſſo ſtudio, ac laboribus, obiectas difficultates ſuperare contendamus. indagatio enim rerum tum maximarum tum etiam occultiſſimarum, habet oblectationem, & eam quidem qua nulla maior, nulla vberior, nulla plenior vlla ex re ab homine percipi poteſt. ſiquidem cùm aliquid meditando occurrit, quod rei quæſitæ veritatem nobis explicet, & aperiat, animum non ſolum exhilarat, ſed fructus vberrimos ex maximarum rerum intelligentia, & ſperatur & prouenit. tum etiam veritatis amor, ſtudium excitando, adeo validus exiſtit, vt omnes humanas cogitationes ſuperet. & vt rectiſſimè docuit *Democritus*, naturā in profundo veritatem penitus abſtruſiſſe, ita eam vigilantius inquirere inueſtigare, ac rimari decet. id ſiquidem cum maiori æquitate cōiunctum eſt, quam ſtultam opinionem temerè amplexā pertinaciter defendere: nam quod ex inani tua fantaſia, eam præcipuè Chymiam exiſtimas, quæ circa metalla verſatur, eoſque Chymicos voces, qui circa eiuſmodi quiſquilias occupantur, honeſtiſſimæ arti iniuriam facis. in qua tātam digni-

tatem, maieſtatemque contineri qua nulla maior eſſe queat, docti ſatis norunt. non enim ſummi Philoſophi in ea deſcribenda, ſuum ſtudium impartiti eſſent, niſi ſummam in ea grauitatem, præcipuam dignitatem, immenſam vtilitatem, & Philoſopho dignam percepiſſent. Tu verò vt tuæ epiſtolæ in aliquo pretio eſſent, omnes priſcos rerum ſcriptores, tibi vexandos ac lacerandos ex vulgi opinione deſumpſiſti: cùm vulgus aliud nihil intelligat præter hoc ſolum quod verſatur eis ob oculos, & manifeſtioribus rebus intentum, quæ penitus abdita ſunt prætereat. illi ſua placita relinquenda ſunt, qui nihil magis affectat quàm decipi, habeat igitur quod optat. quid mirum? etiam ad eam quàm videt veritatem incredulus eſt. Turpè ſanè eſſet, ſi *Crenander* alios imitando vana & fucata hominum ſtudia ſequeretur, & ſic felices præteriret vndas. Non igitur tibi admirationi ſit, ſi in abyſſum eius ſcientiæ ſe ipſum demergere velit. cùm Philoſophorum ſcripta non ex verborum cortice, ſed ex interiori medulla, & naturæ viribus intelligantur. nam per ſæpe illi verborum in-

uolucris atque integumentis res pulcherrimas ac difficiles occultarunt. id ea ratione fecisse videntur ne tanta mysteria ac præstantissima illa ars, quæ sua facilitate facile omnes alliceret, ad indignos emanaret ac perueniret. neque enim fieri potest vt ij rectè naturam intelligant, qui verbosa dicacitate contenti, omni cogitatione motuque animi, in illius occultis operationibus inquirendis non versantur. Vnde vides quam ineptè illud μηδὲν ἄγαν illi obtrudas, commendas in eo medicinæ sitim, & vis vt Chymiæ scientiam quæ summam illam ac perfectam medicinam docet, veluti per transennam inspiciat, Catonisque ea in re sequatur consilium, qui tota ætate sua, insanis declamationibus reipublicæ tranquillitatem perturbauit. & nulla ratione fulcitus, temerariè inspectandam delibandamque tantum artem Chymicam suadet. Ideò ne illius exemplum sequutus hanc vidisti tantum & vix summis labris degustasti. Quid (obsecro) emolumenti capies, ex arte quam non perdiscas? nisi vt ingenia hominum captiosè fallens, authorita-

tem

tem apparatu quodam palliato, cum veſtium ornatu, & ſermonis elegantia, interſectis modò Latinis modò Græcis, iam Hebraicis, Chaldeis, ac Arabicis verbulis, ſic mortalium aures faſcines, ac in admirationem tam variegati ſermonis trahas, vt ſub talari veſte multam occultari ſapientiam credant. nónne eiuſmodi homines perſonatis tragœdiarum hyſtrionibus ſimillimos eſſe Hippocrates recte aſſeruit? nam vt illi habitu, geſtibus, ac veſtitu, Regis perſonam, aut Principis referunt, quos non eſſe conſtat, ſic illi qui artes tantum ſalutarunt, ficta ſcientiæ oſtentatione, apud ignobile vulgus, indoctoſque proceres, famam, ac nomen ſibi vendicant. Eſt ne penes te hoc addiſcere ſcientias? Eſt ne hoc philoſophandi genus? vt iſta quæ Medicorum ac Philoſophorum vulgus ſtultè admiratur ſequaris, & de rebus non aliter ſentias, quam hominum multitudo ſentit? an putas ad oſtentationem & pompam ingenij potius, quàm ad cõparandam eruditionem vetuſtos, ac graues illos authores eſſe peruolitandos, vt temerè huc & illuc

ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα errabūdus feraris. Scio multos ſtulta opinione ſui, & philautia nimium ſibi placentes, vanaq; ſcientiæ perſuaſione inflatos, ſpretis bonorum virorum ſcriptis, in lectione infideliū ita occupari, vt nullam exiſtiment ſcientiam, extra eorum ſcholas. Sic Medicorū maxima pars, in falſis barbarorum opinionibus, adeo cōſenuit, vt ſchyrrum quamuis durum, citius digeras, quam inueteratas illorum opiniones à puero conceptas, ex animo eripias. ſed quid hoc ad Crenandrum: habeant ſimiles ſua labra lactucas, nec perterrefaciet illum turba illa contradicentium, multitudo enim errātium non facit errori patrocinium, quomodo non meminiſti ſententiæ *Socratis*, qui in Critone *Platonis*, vult illud in primis ſapienti eſſe fixum, & decretum, ne quid opinione vulgi commoueatur, immò ſuſpectum ducat, quicquid ſenſerit, populo vehemēter arridere. propterea contemnens eius iudicia incœptum curſum non interrumpet, etiam ſi ars paucos habeat adſtipulatores. *Sermo datur cunctis animi patientia paucis.* Non ignotum eſt nobis huic arti, quemadmodum

dum Euangelio, à multis contradici, ſed eiuſmodi homines comparamus illis, qui in ſtercoribus operantes, & in ipſis tanquam galli, ſueſque gaudentes, conantur impedire ac ſupprimere quæ rara ac præclara ſunt. quorum tamē conatus fuerunt hactenus, ac erunt ſemper vani & fruſtranei. nam ipſa veritas omni hominum auxilio deſtituta, per ſe ipſam potens eſt, ſuas partes optimè defendere. num propter ingentem multitudinem impiorum ſuſpicabimur promiſſionē gratiæ, Eccleſiæ factā, irritam eſſe cùm ſciamus verè eam exhiberi credentibus etiam ſi pauciſſimi ſint. Et vt Dei virtus & ſapientia malè audire non debet, immò nec ideò quia quandoque per impium, aut malè vitæ hominem tractatur ac annunciatur (cùm nullo vitio contaminari queat omne quod ex Deo eſt) ita Chymia etſi contemptores habeat, & contradicentium multitudinem, ſua veritate victoriæ palmam, inuitis illis ſemper oſtentabit. non eſt metienda doctrina magno numero, niſi paleas tritico præferre libeat, quia multitudine ſuperant. Quod dicis nos ad Dei gloriam natos, vt

hu-

humanam ſocietatẽ coleremus, iuuaremus, ac tueremur, vt verum agnoſcimus, ita quod hanc ſtationem deſerat, parumque ſuæ ſortis memor ſit, qui Chymiæ operam dat, cõſtanter mendacium eſſe aſſerimus. nam variæ ſunt hominũ occupationes, & Chymicus artem ita exercet, vt primum quærat regum Dei, nec reliqua officia deſerat, ſed ſingula ſuo tempore idoneo preſtet ac exequatur. An ignoras Hermetem hortari eos, qui in artem Chymicam ſe introducere volunt, vt depoſito arrogantiæ vitio pios ſe ac probos exhibeant. vt hilares ſint, ac ſereni vultus, ſalutent libenter, ac arcanorum obſeruatores ſint, ſed ante omnia Deum timeant. Verùm quicunque vt tu refers, in ſolitudinem fornacum Chymicarum ingreſſus, inter vulcani latet tripodas, & quaſi nec diuinorum officiorum, nec humanarum rerum ad ſe pertineret cura, poſthabita ſacra literarum ſcriptura, cum flammis, pruniſque conuerſatur, tanquam ſcurram ac nebulonem reijciendum meritò Chymicus exiſtimat, cùm ars Chymica (qua nulla præſtantior) tales fugiat ac deteſtetur. quia vt in præfatione

one admonuimus, ex *Thomæ Aquinatis* testimonio, ars hæc aut pium invenit aut facit. nam eius artificium tale est, ac effectus tam stupendus, vt in diuinæ munificentiæ admirationem ac gloriam attrahat. Et si qua Dei gloria, in natura abscondita latet, eam producat. nam consideratio contemplatioque abstrusarum in natura rerum, cùm sit animarum nostrarum quoddam quasi pabulum, mirè nos detinet, & arctissima cum Deo nos societate coniungit. Et qu ifieri posset, vt se à Deo alienaret, cùm eius donum & non hominis esse certo sciat? Citra cuius liberalitatem, & beneficentiam, nemini mortalium ad huius sublimis arcani cognitionem patuit aditus, neque patebit vnquam. Non decet igitur in Deum, & veritatẽ ita seuire, vt hominibus odiosum reddas, id quod verum esse demonstratur. Verùm ea est rerum humanarum infœlicitas, vt nunquam sine Zizania, atque infœlici lolio, triticum prouenia t. simili itaque malo Chymia, à Medicis illis ex tuis pseudochymicis fornacibus prognatis, premitur. inter quos pestis quædam, pigritia, arrogantia, auaritia defœdata, ita pro-

prorepſit, vt ars hæc ſanctiſſima maximam ruinam cõtraxerit. adeo vt ruſtici, fullones, cerdones, ſycophantæ, & auaritiæ mancipia, ac alij huius farinę homines nequiſſimi, artem Chymicã malè audire faciant. quamuis illa eiuſcemodi ſit, vt contemptũ hoſtem non dignetur. nam vera Chymia humanitatem colit, aſperitatem moroſam odit, affabilis eſt, blanda, nihil cum ſupercilio agit, nihil cum ſimultæ religionis prætextu. & qui eam exercent, nec hominẽ exuunt, nec in ſues aut lupos ſe transformare ſinunt. quemadmodum ſeua illa Cyrce (quam impiè Deam vocas) te non in leonem, ſed in latrantem canem tranſmutaſſe videtur. nam ſi tua ſcripta quis conſiderauerit, præter latratus, vociferationes, mendacia, inuectiuas, tanquam ſi execrationes ſereres, aliud nihil inueniet. neque ego quenquam ob id laudandũ cenſeo, quia ſcripſerit cõtra aliquem, nec quenquam probro, qui maledicentia pugnat, id enim proprium eſt meretricum, & ſcurrarum, in triuijs contra quoſque latrãtium. Et hoc eſt verè exuere hominem, ac ab omni humanitate degenerare. quæ vetat ſuper-

perbum esse aduersus socios, sed verbis, rebus, & affectibus, comem se, facileḿq; omnibus præbere. reuera tuas declamationes sub epistolarum forma conscriptas, non solùm ambitiosas, sed seditiosas ac supplicio dignas existimo. ludis enim salibus plus satis dicacibus, parumq́; dignis viro graui, quę res speciem habet animi alienę laudi parum fauentis, & suæ nimium indulgentis. Sed veniamus nunc ad tuorum argumentorum pondera, veritate nuda ne dicā puerilia, & quauis pluuia leuiora.

LIBAVIVS.

Qui naturam destruit, poteſtne is eius esse amicus? poteſtne is probare, quod à sapientissimo architecto eâ eſt inſtructum facie, qua & optimū esse visum eſt, & ad omnem humanæ vitæ rationem cōmodissimum? Contemplare chymicorum instituta. Integros quasi à matre sua accipiūt interdumq́; rapiunt partus. Hos satis decorè apteq́; informatos reformant, natiuam faciem exuere cogunt, nouaq́; inducta ita adulterant, vt non agnoscas rem naturæ. Tantámne in hominem cadere proteruitatem? Qui cerussatā miniatamq́; vulgo oſtentant faciem,

qualis olim inter ſcorta ſua concubinaſq́; ſediſſe dicitur proclamatiſsimum turpiſsimarum voluptatum mancipium Sardanapalus, ſuo vitio omnibus bonis ſunt inuiſi, moleſteq́; inter homines verſantur. At extremæ ſaltem cuticulæ illeuerunt mãgonium, facilè ad natiuum reditura illa. Quo odio illos proſequaris, qui intima cum externis peruertunt?

RESPONSIO.

Vt nihil ſapientiæ odioſius nimio ingenij acumine, ita nihil moleſtius philoſophanti, quam ſophiſta. ideo Palladi finxêre veteres araneam inuiſam, cuius ſubtile opus, ac tenues telæ ſunt, ſed fragiles, & quæ ab aura leuiſſima ſtatim diſcerpuntur & euaneſcunt: ita quam futilis & vanæ excogitata ſit hæc tua *Libaui* argumentatio, quæ prima fronte ſubtilis ac ſplendida videtur, ſi diligentius modò vt decet, expendatur, facilè apparebit nihil aliud eſſe quam arenearum telas, argumẽtis diſputationibus cõtextas. & verè in te quadrabit, quod aliquando dicebat *Auguſtinus: argumẽta eſſe vitrea, quæ lucent ſubtilitate, & franguntur vanitate.* non te excuſat (mihi crede) quod in ſecũda epiſt. libri primi, palinodia,

nodia, reuoces quæ priori in chymicos euomueras conuicia. tãquam si quadã apologia, quę antea turbaueras retractare ac restituere conaueris. fortassis in hoc Carneadem imitatus, qui cùm pro iustitia multa publicè, eleganter, & sapienter disseruisset, postridiè nõ minore doctrina, atq; verborum copia, contra iustitiam perorauit. sic tu iacta cõuitia in chymicos esse minimè vis, sed in impios nebulones, qui contemptu rerum conditarum ducti, quicquid à Deo creatũ est, infectũ esse cuperent. quos omnes verè christianus, iure detestatur. neq; tua scripta id prę se ferũt. verum si (vti alio in loco dicis) sanctũ est chymici propositũ, si vtile & humano generi proficuũ, quomodo aduersari diuinę creaturę potest, si ex amplissimo mũdi campo, cum gratiarũ actione petat, non rapiat, operi suo materiã in qua inuestiget arcana maiestatis Dei? nec foris tantùm, sed & intus miracula eius agnoscat. Dicere puras essentias propter varias cœli terræq; iniurias, & incõmoda, non potuisse sine cortice nasci, ad noxias propulsandas, eumq; ad vsum cõmodũ nõ chymiã solùm, sed & coquinariã tollere, est delirare

circa rem tibi ignotam.& quia chymici officium ignoras in expurgandis ſuperfluis reiectamentis ſitam eſſe exiſtimas, nõ legiſti miſer Philoſophos,qui dicunt perfectæ præparationis medicinæ negotium, non ſolum in ſuperfluorum remotione, verùm contra indeficientium adiectione verſari.non erit igitur ſecundum eos coquinaria nec ſtatuaria ars chymica, nec in ſeparatione excremẽtorum tãtum verſabitur, vt in ſecundo tuarum nugarum libro explicas.maius eſt quod molitur, & ineptè eiuſmodi artibus cõparas eã, cuius elementa ne ſalutaſti quidem. ſed relicta tua arte coquinaria, ac verborum inanitatibus, quia inuidię ſpiritus aduerſus veritatem te exagitat, ſciamuſque te in tua ſententia perſtiturum,tamen reſpondere nobis placuit,tum vt lectoribus oſtenderem quam arroganter falſa imaginatione deluſus, ad triũphos proſilires,tum etiam vt veritas magis eluceſceret,& omnes ſcire poſſent, quo iudicio chymica oppugnanda ſuſceperis, & te plus audaciæ quã efficaciæ habuiſſe, omnes facilè intelligent. Et ne ego videar in te,vt tu in chymicos feciſti calumnioſè agere,teſtem
te

te ipſum voco, iudicemque facio, vt ex verbis tuis iudices. dicoque hunc tuum cacologiſmum, dupliciter peccare. primùm ab impoſſibili ratiocinari: deinde non modò falſum eſſe aſſumptum, quod falſis principijs nitatur, ſed etiam ineptum, & quod facilè in tuum caput retorqueri poſſit. fieri enim non poteſt, vt quis naturam deſtruat, cùm in poteſtate hominis illa ſita non ſit. nam Deum cunctis rebus creatis, per verbum *fiat*, poteſtatem, vimque diuinam inſeruiſſe, certũ eſt, & Adamo oſtendiſſe. natura enim cuiuſque rei, nihil aliud eſt, quàm iuſſus ille Dei, per quem res omnes hoc ſunt, quod ſunt: & hoc agunt quod agere iuſſæ ſunt, quia pro eius nutu præſcriptam legem ſeruant eleměta, & officio ſuo cœlum & terra fungũtur. Et Philoſophi tui, etiam ſi Deum non agnouerint, tamen eam definiunt, eſſe principiũ motus & quietis in quo eſt. quo pacto mutare ſeſe, aut obliuiſci ſui, aut ponere proprium ſtudium poterit. multoque minus humana arte diuerti. vnde quo tendat tuum argumẽtum manifeſtum eſt. quod ſi dixeris per naturam, ſubiectum à natura creatũ te intelligere, vti

apparet ex aſſumpto, ne ſic quidẽ falſitatem effugies. neq; enim ſequitur, eum creationẽ reprobare, qui ſubiecta à natura producta, alia forma inſtruat, quã à Deo opt. max. creata fuêre. nã ita omnes qui hac mortali vita fruuntur, Deo ſeſe opponerent. omnibus enim conſtat, omnia in vſum humanũ cõdita eſſe. nõ quidem vt ea in ſua forma manerent, ſed nonnulla vt mutata forma, melius ac facilius in humanum vſum verterentur. Nam piſtor triticum à natura productum, in panis formam convertens, anne naturæ deſtructor dicetur? natura etiam ſemen terræ cõmiſſum, corrũpens, & à priori forma ſpolians, deſtructrix ne ſui ipſius erit? plures artes mechanicæ, ſubiecta naturæ arripientes, in varias non ſolùm figuras, ſed & formas tranſmutantes, inimicæ ne naturę vocabũtur? ſed quid ventriculus, nũquid alimenti natiuã faciem mutãdo, in chylum cõuertit? qui deinde per varios motus in ſanguinis perfecti naturam degenerat. Ergò tuo iudicio vẽtriculus chymicorum more perperã facit: ô lepidum caput! ô inſignis argumentatio! Vides ne quo te rixandi & nunquã ſatiata libido, & rabioſa maledi-

ledicentia rapiat. mendacium igitur falſiſſimum eſt, eos eſſe inimicos naturæ qui eam deſtruunt. accipiẽdo (vt ſanè me intelligas) naturam vt tu interpretaris. quare, non eſt cur chymicos inſecteris, ſi ſubiectum naturale accipientes, illi aliam dent formam. nec propterea à viperino obtrectraticis linguæ tuæ veneno, repræhendi mœrentur, niſi vt tu contra omnem veritatem præſupponis, adulterinam dederint formam. verùm illud tibi probandum prius erat, antequam aſſereres, cum ratione naturæ agentis chymia ſit opus naturale, & diſputandi anſam ſumere in refutandis aliorum factis, ex comparatione nebulonis *Sardanapali*, eſt craſſa facetia, vulgo tuum ingenium ambitioſè oſtentare, ac te carere melioribus argumentis oſtendere. eiuſmodi enim diuerticula & anfractus ſuffugia ſunt infirmitatis vt quod curſu vincere non vales flexu eludas. abſurdum enim eſt, imò deteſtabile, ſolum oſtentandi ingenij cauſa, in re ſeria, & in qua tot hominum ſalus verſatur nugari, ac ea docere, quæ falſa experimento depræhenduntur. vt ſic veritatem ſophiſticis quibuſdã fallacijs inuoluas.

quocirca tuis ficticijs ac vanis imaginationibus nihil tribuens, ſubſtituā aduerſus te veram,& apertam contradictionem, veris demonſtrationibus cōfirmatam. quæ ſunt certiſſima & tutiſſima veritatis fundamenta. Qui ſubiecta naturæ deſtruit, illis meliorem formam inducendo, eſt amicus naturæ, & probat ac admiratur quod à ſapiētiſſimo architecto tali facie inſtructum eſt. Chymici integrum partum à natura formatum nō ſolum reformant, ſed meliorem formā illi inducunt, ergo non ſunt naturæ inimici: & tantum abeſt vt adulterent, quin multo excellentiorem inducant formam,quam natura per ſe alias efficere potuiſſet. iuxta illud Poëticum:

Dic mihi quid numerū geminatis viribus auget.
Hoc natura facit,ſpecierumq́, inſita virtus.
Imò ars,naturæ diſponens ordine vires.
Ergo ars & natura facit, ſi deficit vna,
Caſſa erit alterius, quamuis miranda poteſtas.

Nunquid vides doctorum & ſcientia,ac ſententia, vltra naturam aliquid præſtare poſſe Chymicū? Et tamen ſine natura ſe nihil efficere poſſe fatetur.non enim ars corrumpit,

ge-

generat, aut informat, tantùm administrans naturæ operanti necessaria, quicquid fit aut producitur naturę acceptum fert. quomodo non legisti apud authores, artificium in multis defectum naturæ non complere solùm, sed ipsam naturam exuperare. dum ad vsum præstantissima reddit, quę per se relicta futura erant incommoda. Concludamus itaque artem Chymicam à multis, diligẽtissimis obseruationibus inuẽtam, certisque rationibus probatam, imitari naturam, cuius ministri sunt Chymici, qui ex re imperfecta, & rudi, rem perfectam & gratissimam perficiunt: nõ quod nouam naturam producant, sed tãtum naturæ virtutem subtiliant, & subtilem naturam in re inclusam detegunt ac manifestant. sic ars è cinere filicis aut alterius plantæ vitrum educit, cuius substantia si in cineribus per naturam occulta non fuisset, frustrà inde artifex vitrum eliceret moliretur. nullis enim è rebus prolici aliquid potest quod in ipsis non sit per naturam. Non igitur ars chymica adulterabit, nec mãgenio extremę cuticulæ, cerussam aut miniũ alliniet. cùm formarum productio naturæ sit officium nõ artis.

sed

ſed quo amore proſequendos exiſtimas, qui externa cùm intimis ſic emendant, vt corruptionis iugum abijciant. Hæc mi *Libaui*, præſtabat prius exactius penſitare, quam ad ſcribendum & laceſſendum impetu ferri. Verùm cæca ambitio, ignorantiæ nebula, rationis obſcurat iudicium. & facit, vt delectu rerum cecutiamus, pro optimis peſſima ſequentes, & potiora minus vtilibus poſthabentes.

LIBAVIVS.

Imperfectam dices, inabſolutamq́; naturæ ſobolem perficiunt. Sed iſto portento ſcelus ſcelere cumulabis grandiori. Nego tibi naturam ſibi relictam imperfectum quid parturire niſi vitio alieno.

RESPONSIO.

Si tantam induſtriam, tantumq́ue in inquirendam veritatem poſuiſſes ſtudium, mi *Libaui*, quantum temporis altercando inutiliter conſumpſiſti, non dubium quin (vt es ingenio acuto) ad perfectam abſolutamq́ue iampridem Medicinã perueniſſes. ſed dum

tuis

tuis raperis affectibus, & magis consuetis quàm veritate delecteris, fit vt deteriora melioribus præponas. Et hinc ille ardor, non inuestigandi veri, sed contendendi excitatus. Et videris tanquam Erasti simia, oratorio more, contradicendi occasiones quærere, veluti si in scholis tibi declamandum foret. nec cogitas quantam iacturam doctis facias, qui virulenta lingua, mendacijsque cõfictis, lacerare conaris artem, quàm (vt dixi) ne summis labris attigisti. sed ad rem veniamus, quia inabsolutã naturæ sobolem Chymici perficere dicunt. hoc portento scelus scelere cumulare asseris. Quare? quia negas naturam nihil reliquisse imperfectum, nisi vitio alieno. ô iniustitiam non ferendam! et quod tu asserendo negas, hoc nos indubitatum tenemus. Et ne in arguta nimis imperfecti natura, eiusque gradibus, tempus logicorum in morem conteramus, cùm imperfecti nomẽ variè admodum vsurpari soleat, in hac cõtrouersia quid imperfectũ sit intelligemus, si primò perfecti naturã diligẽter expenderimus. seposita igitur tua cõficta ac inepta perfecti diuisione, in palinodia adducta, vbi

vbi aliam dicis esse perfectionem naturæ aliam ad vsum. relictaque *Aristotelis* definitione, qui perfectum esse dicit, extra quod nihil eorum quæ sunt ipsius, accipi potest: nos clarioris doctrinæ gratia, perfectũ dicimus, quum scilicet res absoluta est, & constat suis omnibus partibus, & est terminus siue vltimum, in quo desinit generatio. nam perfecta sunt, vt inquit, ille, quæ proprium habent finem, in quibus nulla pars, quæ secundum naturam competit desideratur. Ergo in quibus aliquid desideratur, hoc est, sunt in motu ad eam formam ad quam vltimo destinãtur, imperfecti nomẽ sortientur. sic vrsam informem carnem enixam, dicimus imperfectum fœtum edere, quem lingẽdo paulatim ad perfectionem ducit. ita puer imperfectus homo dicitur. oua animalia imperfecta sunt. & quamuis illa in sua specie cõsiderata, perfectionem sint adepta, tamẽ imperfectæ rei nomen merentur, quia ad prædestinatum finem nondum peruenerunt. Non enim oua (exẽpli gratia) generata sunt, vt sub illa forma permauerent, sed ad producẽdam auem. & ideò dicuntur imperfecta, sub forma oui,

per-

perfecta autem, post generationẽ auis. cùm ibi sit finis ouorum vltimus, & motus ad finem peruenit. nec est quod imaginari ã imperfectionem in stulta ac conficta prima materia Philosophorum contentam intelligamus, sed talem quæ rudimentum à natura consequuta, nõdum perducta est quo debe- ret, & à natura destinata erat. quicquid enim reperitur in rerum natura, formam & materiam habens, desiderat in suo genere maximè perfici. Et innatus appetitus hic, est perfectionis omniũ potissima causa. de hac imperfectione loquitur Chymicus, dum materiam à natura relictam imperfectam, sua arte ad perfectionem ducit, vltra quã natura per se facere posset. Dubitare verò naturam res imperfectas non creasse, est meridiem tenebris obscurare. nam quicquid aliquid naturaliter recipit, vt perfectius euadat, eo quod suscipitur priuatum fuisse necesse est. non enim quod habet recipit, sed possessor eius est ac manet. materia igitur quæ perfectionẽ adipiscitur, hoc est in meliorem, quàm antea conditionem à natura redigitur, antequã reciperet, illa priuatã fuisse constat. Ergò luce me-

meridiana clarius, apparet naturam res imperfectas creare posse. Quid igitur tibi vis ini *Libaui*, cum tuo nugaci axiomate, quo falsam doctrinam inducere conaris? quomodo non meministi tuum Aristotelem, *lib. primo meteororum*, de imperfecte mixtis corporibus disputare. præterea nosti apud tuos Philosophos, hanc differentiam poni, ex mistis quędam esse imperfecta, quorum alia, ex vno tantũ elemento cõstant, alia ex pluribus in vnum coactis, alia perfecta quæ præter elementorum formas, propriã etiam formam habent. Et quæ aliquid potentia sunt, nónne imperfecta erunt, si ad actum cõferãtur. quid enim aliud est potentia, quã habilitas ad formam non habitam prius, sed accipiendam? sed quia ista puerilia sunt, & aliqua fictitia, ac imaginaria, imaginarijs philosophis relinquimus. nec ijs refutandis tempus terere nolumus. hoc tantũ addam, vt manifestius rem intelligamus. post lapsum primi hominis, nihil perfecti vnquam à natura productum fuisse, eã est vulgare, vt demirer quomodo ista scribere nõ erubueris. Deus enim opt. max. quæcunque creauerat, vidit esse bona, hoe est

eſt perfecta. ſed poſt lapſum protoplaſti, maledixit, ita vt quicquid poſtea in lucem editũ eſt, corruptione non careat, & imperfectum ſit. conſidera elementa ac elementata, quæ ſub concauo orbis lunæ continentur, nunquid varijs mutationibus ac corruptionibus ſubiecta cõſpicimus? quomodo ea perfecta vocare poſſumus? profectò hoc nihil aliud eſt quam inſidias in vocabulis ponere, vt ita tuis calumnijs & ſophiſmatibus, tãquam nebulis offuſis, res alioqui clariſſimas obſcuritate inuoluas. nam quod negas naturam ſibi reliquiſſe res imperfectas, laqueos tẽdis, cùm non ſibi reliquerit, ſed nobis: propterea ſi quędam ſunt imperfecta, id alieno vitio fieri dicis. tanquam ſi aliquid noui protuliſſes. non ſumus impij, mi *Libaui*, agnoſcimus Deum opt. max. errare non poſſe, proinde nec naturam. Et qui negligit eam, planè negligit ea quæ Deus fecit, ad ſui patefactionem. Et qui improbat eam, improbat Dei cõſilium, atq; factum. qui verò ſe ab ea auertit, eamq; deteſtatur, à Deo ipſo cognoſcendo ſe auertit, Deumque deteſtatur. nam omnia certiſſima, & immota naturæ lege fiunt,

nihil

nihil temerè, ſed modo & ratione mirabili, poſteriora prioribus conueniunt, omniaque ſibi mutuo inſeruiunt, atque ex ſe inuicem nectuntur, vt nihil aptius excogitari poſſit. Et qui naturam peccare dicunt, impropriè loquuntur, & deteſtandi ſunt, vt qui naturæ maieſtatem non agnoſcant, noſtri non illius vitio fit, quicquid imperfectionis accidit. quod ſi Chymicus naturæ genitricis ſuæ æmulus, virtute ſua, vitium illud auferre poteſt, ſceleſtus ne ideò dicetur? quamobrem non perficere eſtimabitur, quod natura reliquit imperfectum? non quod ille (vt antè dixi) perfectionis ſit cauſa efficiens, verùm cauſa ſine qua nō. Nam ſi ne artis adminiculo, nunquã per ſe natura ad perfectionis culmen perueniret. id quod *Arnaldus* apertis verbis indicat, dum inquit, quamuis lapis noſter tincturam in ſe naturaliter contineat, quoniam in corpore terræ perfectè creatus eſt, per ſe tamen motum non habet, vt fiat elixir perfectum, niſi moueatur arte & operatione. Sed audiamus Chymicos vtrum imperfectam materiam à natura creatam agnoſcant.

Mer-

Mercurius Philoſophorum, inquit Chymicus, eſt materia in qua continetur Mercurius Philoſophorũ, & eſt ille in quem natura paululum eſt operata : & in metallicam formam formauit.tamen imperfectum reliquit,& illa res quę non eſt perfecta,neque ex toto imperfecta, & quod natura non perfecit in illa, ipſe artifex adiuuando naturã poteſt reducere de imperfectione ad perfectionem.

Mercurius eſt imperfectus nihilominus aurum & argentum communia proueniunt ex ipſo.

Si in ipſo Mercurio operari incœperis vbi natura reliquit imperſectum, inuenies in eo perfectionem & gaudebis.

Mercurius nõ quilibet,ſed ille circa quem natura ſuas primas operationes incœpit. quas operationes ad naturã metallicã determinauit, ſed imperfectè rem illã reliquit. Si ergò ab illa re extraxeris Mercurium in qua inuenitur,&cùm eo incœperis operari,incipiendo in eo vbi natura reliquit imperfectũ, inuenies in eo rem perfectam, & gaudebis. recipe igitur in Dei nomine, rem illam quæ

non eſt perfecta, ex perfecto enim nihil fieri poteſt, quoniam ſpecies rerum perfectarum à ſua natura non permutãtur ſed corrũpuntur. nec illa res ex qua noſter lapis extrahitur, vel materia lapidis, eſt penitus imperfecta, cùm ſecundum artem, ex tali imperfecto nihil fieri poſſet. ratio, quia ars primas diſpoſitiones naturæ inducere nõ poteſt, & quod natura in ipſa non perfecit, ſed tantum incepit, hoc per artem poterit reducere artifex ad perfectionem.

Vtimur vera natura, quoniam natura non emendatur niſi in ſua natura, & ſi emendatur, nónne perficitur?

Si igitur natura reliquit nobis aliquid imperfecti, qua fronte contrariũ aſſerere audes, cur viris tã preclaris fidem detrahẽdã, ac tibi nec non ſciolis quibuſdã potius credendum iudicabimus, qui peruerſo iudicio, falſis propoſitionibus, artem vanam ac adulteram eſſe perfricta fronte cauillantur. adeóne philoſophorũ veterum fama & doctrina in extremũ diſcrimen redijt, vt neſcio quis garrulus, audeat eorum doctrinã ſua falſa dicacitate corrigere. Itaq; vt concludamus quod tu negas,

id

id nos tanquam indubitatum arripimus. fatemurque naturam nobis reliquisse subiectum imperfectum, quod nos arte nostra, ad perfectionem perducimus. Et si tu contrarium credebas, quid opus erat addere, chymicos minimè posse absoluere quę natura non perfecit. nam si apud te fixum, immotumq; manebat, naturam nihil imperfecti reliquisse, de reliquo non erat dubium. Sed vt imaginariam tuam propositionem probares, addis.

LIBAVIVS.

Nego si quid non perfecit natura, id arte Chymicorum posse absolui. Ab intimo motus perfectionis est. Nisi omnem temperaturæ vim in manu habeat sua Chymicus, edere perfectius quid nequit.

RESPONSIO.

Qui philosophandi finē de motu differentes, omnia referūt ad cōtētiosas scholę disputationes, mihi profectò ridiculi vidētur. negare chymicos minimè posse absoluere quæ

natura non perfecit, eo quod omnis motus naturæ ab intimo ſit perfectionis, quomodo concludatur non capio. & quamuis verum ſit omnem motum naturæ in ſe conſideratum eſſe perfectionis, propterea nõ ſequitur quod infers. ſupra enim confeſſus eras illum motum vitio alieno impediri, ac ea ratione imperfectum quid creari: non ratione motus naturæ, ſed (vt tuis verbis vtar) vitio alieno. quod ſi illud vitium nobis expoſuiſſes, reſpõderemus categoricè. verùm quia illud ſilentio tranſigis, nec quale ſit explicas, nos quoque nolumus operam ludere in eo inveſtigando. ſed (vt ſupra dixi) nullus vnquam chymicus (de veris loquor non de tuis) negauit naturæ motum, eumq́ue probat, agnoſcit, ac recipit, nec ſibi adſcribendum putat, quod naturæ debetur. Et quia omnis naturæ motus ſit perfectionis, ideò Chymicum perfectum quid minimè edere poſſe, tam eſt abſurda argumentatio, vt me pudeat refellere, & in Dialecticis elementis verſari. non controuertitur hic, mi *Libaui*, de motu naturæ, qui vt ſubiecta inhæret rei, quæ mouetur, & perfectio eſt nõ eius quod perfectum

eſt,

eſt, ſed eius quod imperfectum eſt, perfici tamen poteſt, ſed de re à motu producta agimus, quam dicis imperfectam minimè edi, niſi vitio alieno. Ergo tibi contrarius, concedis vitio alieno imperfectum quid produci. Et cùm alienum illud vitium non conſiſtat in motu, ſtultè admodum cõtra te ipſum argumentaris, ex motu ad rem à motu productam. quid ſi chymicus arte ſua illud vitium, quo naturæ motus impediebatur, etiam ſi tu nõ credas, abſtulerit, numquid ſceleſtus erit, eo quod fieri non poſſe tibi videatur? cenſebisne aliquid illi tribuendum, etiã ſi naturæ limites non tranſcendat, ſed illi ſuum motũ permittat? profectò his nugis ac laſciuientiũ ingeniorum exercitationibus, nihil proficis. quid exiſtimabas homines adeò eſſe mente captos, vt tuis verborum lenocinijs, tanquã volucres viſco caperẽtur. Deinde vbi addis, niſi omnem temperaturæ vim in manibus habeat, nónne manifeſtè tuã craſſam ignorantiam accuſas, ac te ex eorum eſſe numero, qui pædagogica ac loquaci Philoſophia imbuti, nudis qualitatibus omnia tribuũt. quid per Deum immortalem eſt iſta veſtra tem-

periees,ne dicam intemperies,quæ tot in medicina vobis expedit difficultates? tãquam si motus à temperie depēderet,& natura absq; ea nihil generare posset, cùm ortus substātiæ solius sit & non qualitatis,cuius mutatio cōmutationem subiecti nō ortū facit. Sed quid (obsecro) proderit chymico si temperaturæ vim in manibus habeat,nisi vt subiecta commutet, de quo nulla est cōtrouersia. at tu impudenter asseris,nihil perfecti à chymico edi posse, nisi tēperaturæ vim in potestate habeat. cùm tamen nullius temperiei rationē habens,arte sua beneficio naturæ, ex re imperfecta (vt supra ostēdimus) rē perfectissimam ꝓducat. certo sciens tēperiē ad generationē nihil pertinere, sed eam sequi tanquã vmbra corpus. formæ enim sunt substantiarũ effectrices, & non qualitates. & nisi contradicēdi libido tibi oculos mentis excæcasset,cōsiderare debebas ventriculũ non ratione tēperiei,aut caloris tantũ,sed virtute quadã innata, quæ totius membri substantiæ inest, concoquere. cibus enim calore in stomacho digeritur,quē cognoscimus,sed transformatur per virtutem quandã occultã,quam ignoramus.
elo-

documēto ſunt leones,qui cū ſtrutione cali-
dioresſunt,tamē ferrū vti illi non cōcoquere
poſſunt,nec ſolum ferrū, ſed & lapillos à cæ-
terorum animaliū vētriculis atteri cernimus,
quos ne ignis quidē tam breui tēpore atterat
atq; cōminuat.ipſe etiā fateris *epi.31.lib.prim.*
non eſſe ſimplicē calorē,qui in ventriculis a-
nimaliū cibos terit,ſoluit, concoquit ac mu-
tat,ſed craſi,& proprietatæ ſubſtantię cōiun-
ctum.nec non leonis & canis exēplo produ-
cendo ſententiā inexplicatam confirmas, ac
tria in ventriculo, ad celebrandā concoctio-
nem te requirere oſtēdis,calorem, craſim, &
ſubſtantiæ proprietatē,hoc eſt verba, imagi-
nationes,& ſtolidas opiniones. ex quibus re-
ſultare inanē cōcoctionē,verborū pompa,ac
iocis ſubtili craſſitie cōditis, declaratam exi-
ſtimas. cùm nobis non tā acri ingenio prędi-
tis, vna tantū natura hoc eſt innatus ſpiritus,
qui omniū actionū & motuū eſt principalis,
vnica cauſa, à tua temperaturà minimè de-
pendens, abundè ſatis cum *Platonicis* ac *He-*
bræis philoſophis ſufficiat. qui in rebus crea-
tis,inueniri ſpiritū quendā elemētis pręſtāti-
orem, ac cœleſtē, viuificandi cōſeruādi vim

ac efficaciam admirabilem habentem, vno ore affirmant. Itaque nõ motus temperiem, sed illa motum sequetur. Ab hac Philosophia nec tuus Aristoteles abhorret, cùm viuentia omnia, tam plantas, quam animalia, spiritu quodam non temperie se multiplicare asserat, dum inquit *omnis animæ potestas alterius cuiusdam corporis particeps esse apparet, eiusque diuinioris quam quæ elementa appellantur. Continet enim in se semen cuiusque fœcunditatis suæ causam. nempe ipsum calorem, qui igneus minimè est, neque id generis facultatem aliquam æmulatur, sed spiritus qui in spiritu spumantéque corpore coercetur, & natura quæ in eo spiritu proportione respondet elemento stellarum. Itaque dura, mollia, lenta, rigida, aspera, lenia, caloris & frigoris vi effici possunt, at propria cuiusque ratio, & essẽtnia nequaquam ex elemẽtis emergit.* Ex quo satis apparet ipsum Aristotelem in eadem fuisse opinione. Nec laboramus etiam si Erastus hanc sentẽtiam in suum sensum ac imaginationes peruertat. & calorem seminis ab elemẽtis processisse, ac fœcunditatem à meliore causa accepisse nugetur. quinimò potius cum Fernelio sentire volumus, (ad cuius

li-

librum de abditis rerũ causis te abligamus) qui palam fatebatur, in natura excellentius quippiam contineri supra vulgatas illas elementorum qualitates, & in errore versari illos, qui omnium actionum causas ijs adscriberent. Nostri etiam Chymici, non tui, dicunt certum ac certissimum esse quoduis elementatum, aliud in se continere quam elementa, & id quidem omnibus minimè notũ esse sed paucissimis certum. Cur igitur cum illis Philosophis non fatebimur, rebus corporeis inesse quasdam occultas seminarias rationes à qualitatibus separatas, quæ cùm data fuerit ijs opportunitas in prædestinatũ finem prorumpant? Si itaque Libaui relictis Errasti nugis, Chymicos legisses, aut, vt verius dicam, intellexisses, clarius cognouisses, nullam generationem qualitatibus sed trium principiorum beneficio fieri, quibus innatæ rerum formæ qualitatibus non subijciuntur. Nam rebus omnibus caducis hæc est perpetua vicissitudo, vt semper vnius interitus sit alterius generatio, in vna eademq; materia. Non quod ea quæ interire dicuntur, ita euanescant vt nihil prorsus amplius

sint,

ſint, aut in imaginariam veſtram materiam, nudam & omni actu orbatam intereant, vt Philoſophi fabulātur, cùm ex eiuſmodi materia, vtpotè fictitia, & quæ reuera non exiſtat, nihil naſcatur. ſed quæ intereunt, in prima illa tria reſoluuntur. Et quia priorem formam amittunt, aliamque adſciſcunt, gigni dicuntur. Scio Erraſtum, à quo ferè quicquid in Paracelſum Grammanum & Chymicos euomis, decerpſiſti, non admittere tria noſtra principia, at nos illa tanquam vera, certa ac indubitata fundamenta, & quibus contradici vera demonſtratione non poteſt, recipimus. & alias (fauente Deo) reſpondebimus, quia ab ijs lucem addiſcere fas nō eſt: qui Phyſicam fabricati ſunt ex tenebris. at nunc Chymica tractamus. Concludo igitur, qui temperaturas rerum habet inanes vmbras corporum præſidere, nec ex ijs quicquam in lucem prodere poſſe, ideò Chymicum cùm abſolutum opus producat, temperaturas non curare nec expetere, ſed tibi ac tuis cuſtodiendas libenter relinquere.

LIBA-

LIBAVIVS.

SED quid ille perficiat? Immò perfectiſsima quæque naturæ opera exquiſitiſsimo congerit ſtudio. In his elaborat. Veſaniæ eſt perfectiſsimo addere velle perfectionem. In vltimo quies eſt, nec vllus ei motus accedere poteſt alius quàm in contrarium. Imperfectum autem aduerſatur perfecto. Corrumpit ergo Chymicus, non perficit amplius. Sed dono tibi aliquid perfectionis. Cùm abſolutum eſt opus, quidnam tandem factum eſt? Phantaſma nempe hominis veſani. Coctionibus enim fortuitis dũ aſsidet chymicus, quicquid fortuitò prodit, id eximiè effert, id pro eſſentia ignaris exhibet, cùm nõ raro effugiẽte eſſentia reſtent ſtercora.

RESPONSIO.

QVI rethorum ſcholis exercentur, ludere prȩſtigijs verborum poſſunt. & in longum ſi volunt περὶ ὄνου σκιᾶς litem ꝑducere. nõ ita hoc licitum eſt in chymica arte, quæ tota conſiſtit in actione ſeria, & ardua, nullũ ibi ſcholaſticæ gerræ locum habent, non conſideras *Libaui* artes nullos habere aduerſarios, præter quam negligentes & ignorantes, certè non effugient repræhenſionem ij, qui quod humanis intellectus aſſequi poteſt,

non

non ſolum negligentia quadā ignorant,ſed cauillis veritatē ipſam occultant. Dato vno inconuenienti quam multa ſequantur abſurda ſi ignoras, hinc diſcere poteris. Iā diximus Chymicum beneficio naturæ abſoluere quicquid perficit. Quod verò perfectiſſima quæquæ naturæ opera exquiſitiſſimo exquirat ſtudio, vti falſiſſimum eſt, ita ignorantiæ tuæ certiſſimum argumentum. Præſupponis enim quæ nulla ratione, aut authoritate, aut experientia probare poteris vnquam. Si enim exiſtimas tantæ penes homines te eſſe authoritatis, vt tuis dictis fidem abſque vlla probatione habere velint, plurimum deliras. & verendum ne Chymici te ad pontem aſininum cum tuo falſo axiomate ablegent. Velle enim Pyrrhonio more inuoluere petulanter caligini quod ſenſibus patet,rationeque ſatis eſt firmatum, nec non à claris ac magnis eſt receptum ingeniis, eſt inani philautia ſe ipſum decipere. oſtendimus partim in ſuperioribus, & latius in ſequentibus demonſtrabitur, Chymicum circa vnam tantum, ac indiuiduam materiam, eamque imperfectam verſari, nouiſſeque ma-

maiores eſſe vires corporũ imperfectorum quam perfectiſſimorum, eaque ratione (vt inquit Rogerius Baccho) excuſari à receptione eorum. Nam quæ ſunt natura perfecta, definitã ſuæ virtutis & perfectionis metam attigerunt demeritam, quàm prius infinitam habebant in potentia. Scio te in illorum eſſe albo, qui aurum & argẽtum, ex vulgi opinione, Chymiæ ſubiectũ eſſe credunt. Eamque ob cauſam putas chymicos perfecta illa corpora requirere. verùm quia ſatis ſuperque contrariũ libello aduerſus *Taludanũ* ſcripto oſtendimus, nõ eſt cur eadem hic repetamus. ſed vt cognoſcas quomodo tota erres via, audi Philoſophos qui planè tibi cõtrariantur, & meam confirmant ſententiã.

Corpora (inquit Philoſophus) per naturam ſolum in mineris abſoluta ſunt mortua, vt imperfecta perficere nequeant. Verùm ſi per artem ad ſeptenam aut denam vel duodenam ſuæ perfectionis multiplicationẽ adducantur, eatenus tingunt in infinitum. verùm hoc excedit captum tuum mi Libaui. ſed ora Deum vt tibi mentem aperiat, ac intelligere poſſis, quid ſit per artem ad ſeptenam,

nam, denam, vel duodenam multiplicationem adducere.

Aurum destruere ac in esse reducere, fatuũ est opus, cùm ex eo nihil plus virtutis, neque potentię haberi possit, quam obtinet ex propria sui natura. præterea.

Cùm perfecta corpora cõstent ex argento viuo mundissimo & simili sulphure, quare nõ eligeremus illa pro materia nostra ad elixir album & rubeum? quia ista corpora sunt adeò cõpacta, & firmiter munita, vt vix inueniamus ignem, in illis quicquam agere valẽtem. quare excusamur à receptione istorum duorum corporum. cùm inuenire possimus alia corpora, in quibus argentũ viuum mundum, & simile sulphur habẽtur, in quibus natura paulùm est operata, adeò vt igne nostro artificiali ad congruam ipsorum mundationem, separationem, fixationẽ ingeniosa nostri operis decoctione super ea cõtinuata valemus peruenire. alius.

Aurum etsi sit minerarũ omnium thesaurus, tamẽ formã nõ habet neq; materiã tantę potentiæ, vt suam excedat perfectionẽ. non habet enim maiorem potentiam, quam perficiendi

endi ſe ipſum quicquid moliatur artifex.

Solis & lunæ cõiunctio cum Mercurio, eſt neceſſaria ad elixir componendum, verum hoc non intelligitur de ſole & luna ac mercurio in ſua natura metallica cõſideratis, ſed de noſtro lapide qui omnium trium in ſe cõtinet proprietates. alius.

Euclides vir ſapientiſſimus nobis cõſulit, vt non operemur niſi in ſole & mercurio ſimul iunctis, in quibus lapis philoſophorum conſiſtit. ex perfecto tamẽ nihil fit, quia iam perfectum eſt. Habemus exẽplum in pane, qui iam fermentatus eſt, & coctus in ſuo ſtatu, & ad vltimum ſuum finem peruenit, nec ex eo plus poterit fermentari. ſic eſt in auro. aurum purum deductum eſt per examen ignis in corpus firmum & fixum, & cũ eo amplius fermentare omnino eſt impoſſibile, niſi habeatur materia prima metallorum, in qua reſoluatur aurum in primam materiam, vnde eſt aurum. & mediante artificio deducitur in verum fermentum philoſophorum.

Vides ne quam apertè philoſophi dehortentur, ne perfecta aut abſoluta corpora reciperemus? Nam verè (vti dicis,) veſa-

veſaniæ eſt perfectiſſimo addere velle perfectionem. nam ibi quies quocirca corruunt omnia tua tela quæ aduerſus Chymicos iacis, cùm falſiſſimum ſit eos perfecta corpora (vt tu intelligis) requirere. non igitur corrumpunt dum perfecta nõ tangunt, ſed perficiunt quod imperfectum erat. neque eſt quod illis aliquid perfectionis dones cum omnibus numeris abſolutũ opus, non phantaſma Libauicum, aut hominis veſani producant: nec fortuitas agnoſcunt coctiones, quas in agyrtarum officinis vidiſti. ſed certis numeris, ponderibus, ac menſuris, omnia reguntur. quæ ſi intelligeres, aliter & ſentires & ſcriberes. ſed quid cani cum balneo.

LIBAVIVS.

Malè agitur cum hominum incolumitate cum ægrotantium mente ſomnia coguntur pro veris exoſculari.

RESPONSIO.

Nunc videndum quam malè cum hominum incolumitate agatur dum ægrotantes ſomnia pro veris exoſculari cogũtur. & vtrũ Chy-

Chymicus, an vulgaris medicina fumos vẽdat. tu Chymicum accuſas tanquam ſi ſalutem, ac ſanitatẽ mortalium palàm decoquere videretur. at ego contra vulgarem medicinam, ad fallendum efficaciſſimam eſſe planè cenſeo, cùm circa inanes voces potius, quam circa res ipſas verſetur. ac medendis ægrotãtibus non admodum ſit neceſſaria, ne dicam pernicioſa, vt quæ hominum ſanitatem ad contorta quędam ſophiſmata releget potius, quam ad ſyncera medicamẽta, quibus morbi mederi poſſent. nam obmiſſis morborum obſeruationibus, quæ reuera multum lucis in curando adferunt, vtpotè omnia quaſi in tabula expreſſa proponentes, quæ alij in viſendis ægris obſeruarunt. quid eſt in medicina quod in vtramque partem diſputari non poſſit? conſideremus tantum ipſum *Galenũ*, quomodo medicinam rixationum plenam nobis patefecerit. rixàtur enim cum medicis ſui temporis ferè omnibus. cum præceptore etiam ſuo *Pelope*. quo exemplo accidit, vt plurimi contentioſo hoc ſæculo, qui totos ſe illius demergũt lectione, ad diſputandũ multo quã ad medẽdum promptiores euadant.

ita vt facilè quiuis perſpicere ac iudicare poſ-ſit, quid ſterilis & arida eiuſmodi ipſorum medicina parere vtilitatis queat. certum eſt ad ſcopum nõ collimare medicũ, qui diſpu-tare de omni re medica in contrarias partes poteſt. Et ne *Libaui* in morem verbis inani-bus tantum agere videamur, tria ſolum in re medica ſummè neceſſaria conſideremus. in quibus ita verſatur *Gal.* noſter ac eius ſequa-ces, vt ferè omnium morborum cauſas, ad ea tria referant. nimirũ humorẽ craſſum, ſalſum & aduſtum, quibus aliquando malignitatem addunt. cùm tamen nuſquam, quid humor craſſus, aduſtus, ſalſus, aut malignus ſit, aper-tè explicauerit. Quomodo igitur morbis mederi poterunt incognita cauſa, quæ eos produxit. Sed quando ęgrotantibus iſta ob-trudunt, quid aliud faciunt, quam quod au-daci quadam temeritate, cultaq; garrulitate egregiè fabulãtur, ac quod nec ipſi, nec vllus mortalium vnquã viderit, perſuadere conã-tur. ſed ne paradoxum quid adferre videa-mur, ac veritas hactenus verborũ ambagibus occulta emergát, nõ authoritatibus certabi-mus, ſed Mathematicorũ obſeruabimus or-dinem.

dinem. vt primo loco ponantur ea quæ ſuaptè natura perſpicua, & aperta ſunt, & ex his reliqua ita demonſtrentur, vt priora poſterioribus & cognitionis lucem, & probationis fidem adferant. nam quæ hactenus fuerunt tradita, ea fide ſunt accepta, vt qui ea teneat, is tãdem verum tenere exiſtimetur. oportet igitur cauſas reddere, quare ea quæ docuerunt veteres, non placeant. Vt igitur à craſſorum humorum eſſentia ordiamur, multi in eius cognitione errant, eo quod inueſtigandi ſollicitudine abiecta, parum quid humor craſſus ſit expendant. ſed dicta veterum tanquam oracula ſuſcipientes, ſolum antiquitatis clypeo muniti, piaculum exiſtimant, ſi quis contra veterum ſcripta mutire audeat. quaſi verò ſtultitia non ſit tam antiqua quam ſapientia. *Galenus*, vt plurimum humorem craſſum vel pituitoſum, vel melancholicum eſſe dicit, nonnunquam flauam bilem craſsam quam vitellinam vocat his adiungit ac humorem craſſum reddi pituitoſum quidem propter frigiditatem, quaſi cõcretum, bilioſum verò propter exuberantiam caloris, tanquam aſſatum, docet.

& dum has duas causas contrarias crassitudinis effectrices, eo quod calor vehemens euaporet, frigidum verò adstringat, se ostendisse putat, nihil nisi quod ipsis lippis & tonsoribus notum est adfert. quis enim non videt in rebus externis calore humores crassescere, ac frigore cõgelari? Euaporatio enim calore facta, etsi crassitiem inducat, tamẽ eius nõ est materialis causa, an verò talis in corpore nostro possit esse frigiditas, vt congelationis aliquam speciem in humoribus repræsentet, controuerti meritò posset. verùm relictis inutilibus quæstionibus, nos euaporationem caloris beneficio factam, aut congelationem frigiditatis ratione, per se crassitiem generare non posse, vera demonstratiõne, quæ à sensu & rebus euidentibus nascitur reperiemus, si diligenter considerauerimus, quod in denominatione humoris crassi, duo intelligimus, nimirum humorem, & crassitiem, quæ duo simul iuncta humorem crassum cõstituunt. iam verò cùm humor sit substantia liquida homomeres, tenuis, & fluida, quæ vt aqua, facile in vaporem dissoluatur, constat quod quicquid in vapores dissoluitur, id sub hu-

mo-

moris appellatione compræhendi debere, è contra quod in vapores dissolui nõ est aptũ, nec humorem esse, nec humoris appellatione insigniri debere. crassities verò etsi sit qualitas, tamẽ in concreto considerata, substantia est terrestris, quod nec dissolui calore facilè potest nec attenuari, nisi naturam eius benè cognitam atq; perspectam habeamus. igitur dum humorem crassum esse dicimus, immixtum illi esse aliquid manifestè apparet, quod crassitiem generare potest. id autẽ erit quod natura & per se crassum est. simile enim generatur à suo simili. Ergo quod natura crassum est, ex necessitate crassitiem generabit: at terra nihil crassius, natura igitur terrestre corpus crassitiei causa statuenda erit. calori verò, aut frigori, hoc adscribere, ex antiquorum sententia si velis, tam absurdum erit, vt nullus sanæ mentis philosophus id affirmare audeat, cùm perspicue sit falsum, & quotidie re ac euẽtu refellatur. nam cùm calor sit qualitas, eaque non generet substãtiam, necessario aliundè crassitiei causæ erũt petendæ. hoc est ab illo corpore terrestri natura prædito, quod omni humori sub con-

cauo orbis lunæ contento, inhæret ac inest. Etenim apud veros philosophos hoc indubitatum axioma est, omnem liquorẽ in se incorporatam quandã substantiã coagulationi à natura sua aptam habere. quod quotidiana experiẽtia verum esse testatur. vnde etiã latini humorem laticem vocant, eo quod in eo aliquid lateat. quod cùm ita sit, quis eandem humoribus nostri corporis inesse negabit? quod si quis pertinax veritati resistat, is in sputo, vrina, sudoribus, faciat periculum. & manifestè post humoris exhalationem, corpus illud deprehendet. non imus inficias quin liquida aliquando calore crassescant: at illum esse crassitiei causam materialem, multoque minus humorem constanter negamus. restat igitur vt sit corpus, quod in humore latet, atque occultum est. quod etiamsi sub sensum non cadat, tamen tunc visibilis fit, vbi caloris beneficio exhalat humiditas, id quod Prodicus apud Galenum rectè intellexisse videtur, nam phlegma ἀπὸ τοῦ πεφλέχθαι nominari dicit. Hoc igitur corpus terrestre quod nos crassum humorem

con-

constituere dicimus, nimirum vbi à calore humor, qui erat eius vehiculum absumitur. non intelligendum est, terreum quid simpliciter esse, cùm simplex terra aquæ aut humori minimè misceatur, nec (vt ita mihi loqui liceat) incorporetur. Verùm necesse est eius esse generis, vt in aquam aut humorem dissolui possit, atque ita vnum corpus efficere. Iam cùm in confesso sit, nihil in aquam solui, nisi quod salis, aut aluminis, aut vtriusque naturam sit sortitum, ex necessitate corpus illud terrestre, quod humori incorporatur, eandem possidebit naturam. Hoc corpus etsi terra sua simplici non careat, sed à Domino solubili natura constet, nos proprio nomine tartarum vocare cum Paracelso consueuimus. qui tamen non simpliciter de natura salis aut aluminis esse, immò tam multas in Microcosmo recipere differentias, quam varias in macrocosmo est inuenire salium aut aluminum diuersitates intelligendum est. Vt hinc pateat quanta pertinacia nonnulli ignorantiam, doctrinæ prætextu, apud vulgus tueantur, & subterfugijs

quibuſdam multorum animos ita faſcinent, vt nullam eſſe diſcordiam, inter *Galenum* & *Paracelſum*, aſſerant, differentiamq́ue tantum in nomine eſſe. nam quod *Paracelſus* tartarum, hoc *Galenum* phlegma, ſiue humorem pituitoſum, vocare. quaſi verò de nomine tantum & non de rei eſſentia eſſet cõtrouerſia. quibus reſpõdemus tantum differre tartarum, ab humore, quantum cœlum terra diſtat. quod vt clarius innoteſcat, libet paulò altius quid propriè tartarus ſit explicare, quo facilius intelligant veritatis contemptores, quomodo in corpore generetur. quod ante *Paracelſum* nullus vnquam nec cognouit nec explicauit. garriant quicquid velint veritatis oſores, non enim curamus canum latratus. Quia igitur de tartaro nobis tractãdum eſt, nomẽ hoc tartari ante omnia excutiendum diligenter eſt. cùm in hoc à vulgo medicorum diſſentiamus. Hoc nomẽ ſumptum eſt à vulgari vini tartaro, quod proprio ac genuino nomine ſic vocatur, idq́ue ea ratione quia oleum, aqua, tinctura, & ſal, ex eo conficiuntur. quæ ægrotantes non aliter, quam ignis tartareus incẽdunt ac vrunt. Hic tar-

De Tartaro.

tartarus eſt illa ſubſtantia quæ omni humori ineſt ac vires ſuſcipit pro ſuæ terreſtritatis natura. verùm ſi quis dubitaret (quod ſupra diximus) omnem humorem terreſtrem, cõtinere & habere in ſe, incorporatam quãdam materiam coagulationi à naturà ſua aptam. in vini conſideratione leuabitur ab omni ſcrupulo. nã cùm vinum ſit terreſtris liquor, ex terra proueniens, talem materiam incorporatam ſecum defert, quæ poſtquam peruenit ad actum coagulationis, tunc illud coagulatum ſeparat ſe à cætero liquore, & ad extrema dolij ſeu vaſis parte adhæret. illaq́; ipſa materia vaſi adhærens, vini tartarus dicitur, qui à fæcibus vini fundum petentibus longe diſtat. Eadem ratione in aqua eiuſmodi tartarus inuenitur, qui ſubtiliter ſe à reliqua aqua ſeparat, & aquæ tartarus vocatur. Sic in lacte lactis tartarus dicitur. Eodẽ modò ex ſuccis herbarum, & obſoniorum, tartarus & generatur & nominatur. in ſumma in omnibus humoribus quibus in alimoniã noſtri corporis vtimur, tartarus ineſt ac hæret, cuius ſpecies in homine ex tartari ſpeciebus externi, cognoſci debẽt. Ex quibus manife-

nife-

nifestè apparet, eorum error, qui pituitã aut humorem crassũ, idem esse dicunt, quod nos tartarum vocamus. Et vt insulsus esset is, qui caseum lac esse dicere vellet, eo quod in lacte continebatur: multo absurdius faceret is, qui tartarum eo quod in humore cõtinetur, humoris appellatione dignaretur. *Et* quãuis tartarus in humore non appareat, videri tamen potest per examen. idq; demonstratiue & nõ imaginarie. nã vt de externo vini tartaro ita de interno iudicãdũ ac sentiendũ est, ideoq; perquam necessariũ est omnes eius species, quales sint in mundo cognoscere. varia vina multiplices tartarorũ differentias ꝓducunt. sic aqua, herbæ, fructus, liquores, suum proprium ac peculiarẽ tartarũ habent. Et in corpore humano varia morborũ genera proferunt. qua in re plurimũ erratur circa morbos tartareos. nam iuxta tam varia morborũ genera, etiam remedia varia quęrenda sunt. aliã enim medicinam requirit tartarus vini, aliam aquæ, ciborum & fructuum ac aliorum, in quibus nisi talis cõsideratio fiat, ac circũspectè procedatur, haud facilè medicina certa & constans adesse poterit. Et vt planius adhuc

hanc

hanc tartari materiam intelligamus, & quomodo ea externè in mundo cognoſci debeat, in quibus corporibus ſita ſit, ac cum ijs vniatur. ſciendum materiam iſtam tartaream, eſſe ſuperfluitatem naturalem, hoc eſt à natura in rebus inſitam, & ſegregationem quãdam, quæ iuxta cõcordantiam cum ſpermatis parte miſcetur. ſed ne nugas & figmenta tractare videamur, rem clarius ſic intelliges. quodlibet corpus debebat eſſe ſimplex, nulla miſcellanea contaminatum, ita vt aqua nihil eſſet niſi aqua puriſſima, abſque vllo additamento. ſic ſucci herbarum, puri, & ſynceri, abſque vlla permiſtione. quod tamen ita eſſe minimè videmus. imò cõtra in omnibus purum cum impuro cõmixtum eſſe cernimus, hoc eſt fęces & tartarum. vt cum aqua lutum cũ vino fæces mixtas reperimus. illud igitur impurũ quod ſeparari debet, tartarus ipſe eſt nó quod tartarũ cum fecibus quę ſub impuritatum nomine cõprehenhuntur, cõfundamus. magna enim differẽtia inter illa eſt. nã impuri materia duplex eſt, vna quæ reſolutioni, altera quę coagulationi apta eſt. illa fundum petit hęc vaſis parietibus adhæret. nam

fæces

fæces ex ſui natura fundum petunt, tartarus verò non niſi beneficio ſpiritus ſalis coagulatur. Exemplo res illuſtrabitur. Alimentum quod aſſumitur, in ventriculo, poſt concoctionem ſeparatur in fæces, & humorem ſanguini gignendo idoneum. fæces per inteſtina reijciuntur, tanquam res impura, materia ſanguinis imò ipſe ſanguis tartarum in ſe cõtinet, qui varijs in locis coagulari poteſt: vſqueadeo vt clarè appareat, omnem humiditatem è terra prouenientem, habere in ſe innatam quandam ſalſedinem, & tartareum quiddam, quaſi viſcoſitatem apparentem, quæ à reliquo humore ſe ſeparat, & in corpus ſolidum coagulatur. Si itaque Archeus in liquoribus tartaream impuritatem non ſeparat, ſed permixtam cum alimento eſſe patitur, fit vt in hominem quoque perueniat. nam quia neceſſum eſt nutrimentis quotidie vti, ali, ac ſuſtentari, tartarea autem materia in ipſis nutrimentis cibi& potus ſita ſit, ex neceſſitate indies purum cũ duplici impuro aſſumimus, vndè morborum maxima pars originem ducit. Cæterum ſi quis iſtis non contentus, clariorem adhuc deſideret

 expli-

explicationem, is humorum in corpore generationem cõſideret, ac ex partium diuerſitate conſtare eos facilè intelliget. Galenus author eſt, quod pituita in prima ciborum mutatione generetur, hoc eſt, vna cum chylo in quo omnes humores, potentia continentur. Chylus enim ex alimento factus, quamquam ſimplex intuentibus appareat, reuera tamen partium diuerſarum mutua permiſtione concreuit, quarum aliæ tenues ſunt & aquoſæ, aliæ terrenæ & craſſæ. vnus enim calor toti chylo ęqualiter ſe exhibet, in eumq́; pari robore & conatu incumbit, veruntamen nõ eius partes omnes, parem mutationis modum ſubeunt, quod non ſimilis ſit omnium conſtitutio atque materia, quãvis hi, qui ex eo diuerſi prodeunt humores, eodem tempore emergant atque compareant. Nec mirum videri debet, ab efficiente cauſa ſimplici, complura diuerſaque humorum genera produci, ob eam quæ in materia eſt diſſimilitudinem, quæ proprietates atque naturas eorum diſtinguit. nam pro diuerſa terreſtris partis natura ac conditione, variari quoque humorum ſpecies cõtingit.

eo quod vnuſquiſque humor, certa humoris terreſtris latitudine ac qualitate circumſcribitur. ex quo intelligitur in quãto errore verſentur ij, qui quaternario ſuccorum numero ſubmerſi, vanis qualitatibus humores diſtinxerunt, nam cùm qualitates inanes ſint vmbræ corporum, ſubſtantiarum diſcretionem facere nequeunt, cùm accidẽtia tantum ſint rebus inhærentia, quæ vel abeſſe vel adeſſe poſsunt illęſa ſubſtantia. Concludo igitur ex humore, qui natura tenuis eſt, & parte terreſtri, quæ craſsa eſt, humorem craſsum componi. Ex his videmus apertè, quomodo *Gal.* erret dum humorem melancholicũ, ob craſſitiem vini fæcibus, aut amurcæ olei proportione reſpondere doceat. fæcem enim ex humore & parte terreſtri conſtare, omnibus notum eſt; ſed non eadem ratione humorum craſsum ex liquida & terreſtri ſubſtantia, compoſitum eſſe intelligẽdum nobis venit, nam in fæce vini terreſtris pars cum humore confunditur, in craſſo vero humore, terrena pars in humore diſſoluitur, & cum eo ita incorporatur, vt vnum corpus conſtituant, cum in fæce ſimul quidem ſint, at non

vera

vera mixtione vnita; nam per ſe ſeparari poſſunt, cùm altera fundum petat, altera ſupernatet. Has tartari differentias ni Galeniſtæ cognitas habeant, in morborum curationibus frequenter aberrent oportet. nam cùm tartarum curare deberent, illo relicto, ad humorum neſcio quas præparationes, attenuationes, & purgationes ſe cõuertunt, & tandem hos immerentes ad purgationum ſupplicia adducunt, quibus tantum abeſt, vt morbum tollant, quin potius fatigantes, ac debilitantes attenuationibus, ac euacuationibus naturam, morbum augeant. tartarus enim aliam curationem poſtulat, neque facilè purgationibus cedit, niſi coagulatus primo diſsoluatur, quod opus & labor eſt. Ex iam dictis, facilè etiam erit fantaſticam humorum aduſtionem explodere. quis enim quod aduſtibile non eſt comburi conſpexit? nam ſi humor calore diſſipatur, ita vt in auras euaneſcat, comburi non poſſe, omnibus notum ac manifeſtum eſt. & vt dicunt Chymici, aqua in ſua natura ſtans ignitionem non ſuſtinet. Quas, obſecro, rationes vnquam adduxit Galenus, vt atram bilem ex

adu-

aduſtione bilis flauæ, aut ſanguinis, vel alterius humoris generari poſſe perſuaderet? & qua ratione membra exedere ac interimere afferit? calori iſta adſcribere, aut frigiditati eſt ineptire in re manifeſta. Eius verba clarioris doctrinæ gratia hic adſcribere non erit extra propoſitum. vt negligẽtiam in cognoſcendo bilis atræ naturã, nec nõ aliorum humorum benè intelligamus. nam libro de cauſis ſympt. inquit non enim ſicut concretus ſanguis, ſanguine fit perfrigerato, ſic etiã nigra bilis generatur, immo contra omnino, ex immodicé cocto, & feruente, veluti cinis quidam nigra bilis efficitur. frigida quidem, eo quod terrea eſt, caloris autem particeps ſicut cinis & acetum. Ex ſanguine igitur ſiue ex alijs humoribus (vt alijs in locis docet) coctis vel ſuperaſſatis iuxta eius opinionem fiet bilis atra. Sed oritur hic quæſtio, an ſanguis humor ſit ſimplex an compoſitus. nam qui naturam corporum recte & ſine errore cognoſcere ſtudent, ij adhibere & ſeruare ſolent talem regulam, vt ſimplicia conſiderent ſimpliciter, compoſita autẽ diſgregent, cernantque ſeorſum ſimplicia. Si igitur ſan-
guinem

guinem ſimplicem dixeris eſſe humorem, iã conſtat in auras calore euaneſcere, ergo non aduri aut ſuperaſſari, propterea falſum eſſe quod aſſerit. quod de ſanguine dico, idẽ de reliquis humoribus intelligendum eſt. Si verò dixeris ſanguinem eſſe rem compoſitam, quæ erunt componentia? quatuor elementa reſpondebis. hoc dato & non conceſſo, quia corporalium elementorum confuſiones in mixtis non admittimus. quid inde ſequetur, quam quod terra ſola erit quæ in compoſito remanebit, reliquis tribus calore euaneſcentibus. igitur terra erit quæ non ſolùm atram bilem ſed omnium humorum differentiam conſtituet: illa igitur pars terreſtris cõſiderari debet, cuius naturę ſit ac conditionis, ſi humorum naturam exactè cognoſcere cupimus. imaginari bilem atram ratione terræ, eſſe frigidam, ratione cineris, aut aceti, calidam, eſt de rebus ſomnia producere, cùm cinis beneficio ſalis, quod continet, & acetum ſua partium tartarea tenuitate, nulla caloris aut frigoris habita ratione, efficiat quicquid agere illis à natura datum eſt. non igitur qualitati tribuendũ, quod corpori debetur. quis

non manifestè videt nunc, quomodo *Galenus* suis humoribus submersus sit hallucinatus. quare habet & ille suos næuos & verrucas, nec æquum est eius dictis, sine ratione prolatis, acquiescere. nec omne id quod rationi nostræ congruere, vel à philosophis magnis asseri videmus, continuo arripiendum est, tãquam omnino verũ ac certum. nisi reluctari veritati potius, quam præceptorum errores confiteri cupiamus. Certum est indies nos conspicere calore humores in corpore relictos exasperari. tamen qua ratione id fiat nec Græci, nec alij infideles apertè declararunt, sed vulgari medicorum figmẽto, sine demõstratione (cui meritò cedere debet omnis vetustas) somnia obtrudunt. neque enim eo quod humores aduruntur, ideò exasperantur. sed quia calore euanescentes, corpus quod in ijs latitabat humiditate priuatum, liberius acrimoniam, quę humore obtundebatur ostẽdere potest. Hoc corpus etsi curationem postulet, attamen relicto eo, adustioni talia applicatis medicamenta, vt non minus venefica sint quam beneficia, & ferè plus periculi sit à medico, & medicina, quã à morbo.

bo.nam quod corpori debetur, hoc rei imaginariæ id eſt aduſtioni,adhibetis. quare patet quæ ſomnia ac mendacia ægrotis veſtris obtrudatis. & quã infæliciter cum ægrorum pernicie medicinã faciatis.Sed quia non deſunt vobis dicere κυιοϱυγετα poſſes,nũquid dum refrigeramus aduſtionẽ impedimus?& calore refrigerato, nónne humorũ euaporatio & per cõſequens tartari generatio ceſſat? nã tartarus in humore diſſolutus remanens, non poteſt vires ſuas oſtendere, vti faceret ſi ob humoris inopiã à ſpiritu ſalis coagularetur. rectè quidẽ hoc fieret ſi ante aduſtionẽ adhiberentur.verùm quia plerumq; morbus partim in fieri partim in facto eſſe cõſiſtit.ad veſtra refrigerãtia minimè eſt recurrẽdũ.ſed ſed ad illa quæ ſua proprietate ac ſubtilitate, non ſolum diſſoluunt, quod iam coagulatum eſt, ſed ipſam coagulationem impedire poſſunt. Et quia vt plurimum nunquam aduſtionem accuſatis, niſi ex effectu apparente, nimirum dum iam tartarus coagulatus invenis,aut aliqua parte ſe prodit, fit vt veſtra refrigerantia, quæ aduſtioni factæ adhibetis, vana ſint inania & nullius efficaciæ.

cum vno eodemq́ue medicaméto & coagulatum diſſoluere, & coagulationem impedire valeamus. Exemplis res illuceſcet, in cancro (verbi gratia) exulcerato à tartaro arſenicali originem ducens. ſi quis ad frigiditatem alterantiã admoueat nihil efficiet, imò morbum exaſperabit. verùm ſi intrinſecus ea dederis quæ tartarum diſſoluere poſſunt, foris verò non ſolùm quę tartaro conueniunt, ſed etiam arſenicali corroſiuo veneno reſiſtant, applicaueris, probè curã perficies. Prætereà vt reliqua etiã pſequamur, cùm in humores ſalſos acres ac ſeroſos cauſam morbi reijcitis, vti in impetigine, ſcabie, lepra, ac alijs vlceribus & cutis affectibus, quomodo illis mederi poteſtis, cùm nec quid humor ſalſus ſit, nec quomodo generetur perſpectum habeatis? Si enim humorem ſalſum eſſe dicitis, cur non humoris & ſalis naturam conſideratis? quid ſint? & vnde originem ducant? offendit vos *Paracelſus* quod mineralia humorum loco introduxerit? verum ſi aſtronomi eam ſibi licentiam aſumunt, vt pro libito ſignis cœleſtibus, nomina ab hominibus, & beſtijs deſumpta imponant, cùm tamen ſola figuræ ſimi-

ſimilitudine, non ratione formæ ſubſtantialis inuicem conueniant, quid prohibet in re medica, morbis nomina effingere, iuxta ſuas cum mineralibus ſimilitudines, cùm non hic formas, ſeu corpora intelligamus, ſed ſaltem cognationem, quam in operando videntur obſeruare. itaque corroſiua microcoſmi ſalibus vitriolatis, alumnioſis, arſenicalibus, & ſimilibus comparamus, vt ſic morbis nomina imponantur, quæ morbi materiam oſtendunt. non negatis ſalſaginoſum humorem in corpore contineri, & cùm ſal inter mineralia recenſeatur, meritò mineralia ineſſe corpori noſtro fateri debetis. nam ex *Gale.* ſententia dicere humorem ſalſum quandoque à putredine, nonnunquam ex mixtione bilis cum pituita prouenire, abſurdũ eſt. Et quãuis non ignoremus philoſophos calori acceptam ferre ſalis, aut humoris ſalſi generationem: tamen cùm id planè veritati repugnet, nec ſenſu deprehendatur, aut nulla ratione demonſtretur, illis adſtipulari minimè poſſumus. nemo enim dat (vt antea diximus) quod nõ habet. ſic calor cùm nec actu, nec potẽtia, in ſe ſalem habeat, illum produ-

 cere

cere nõ poteſt. quod ſi dicas ignem ex lignis generare cineres, ex quibus extrahitur ſal, reſpondebo eadem ratione me dicturũ, ignem generare aquam & oleum, cùm illa beneficio ignis extrahantur. quod quam ſit à veritate alienum, nouerunt illi, qui non ita libenter ſine rationis examine authorum veterũ ſcripta interpretantur. Inſuper, in combuſtione ligni, nullam fieri generationẽ, ſed tantũ manifeſtari quod in re latebat, norunt ij qui naturæ imitatione, virtute ignis, callent corpora componere, & reſoluere, ſpagirica arte, in ſua tria principia. Cũm igitur in rebus externis à calore ſine igne non videamus generari ſalem, aut humorẽ ſalſum, neceſſe eſt vt idem in corpore noſtro fieri cõcedamus: quęrẽda propterea eſt, humoris ſalſuginei alia cauſa quã nobis veteres explicarũt. Ea enim cognita haud erit difficile curationẽ inuenire vlcerum à *Gale.* methodo longa via diſcrepantẽ. Sed id fieri non poteſt, niſi exactè verã ac genuinam eorum, nec non aliorũ cutis morborum cauſam cognoſcamus. Si dixeris plures eiuſmodi affectus indies curari, reſponbebo ita, vt vix decimus quiſque ſanitatem recipiat.

piat. nam quod originem ac causam vlcerum imaginarijs humoribus attribuant, ex diametro pugnat cum vulgari curandi methodo, ac medicamentis quæ passim sunt in vsu recepta. Mercurius enim siue argentum viuum, lytargirium, alumen, vitriolum, minium, erugo, terebinthina, resina, gummi, & alia eius farinę, qua ratione in choleram, melancholiam, pituitam, aut sanguinē, quæ vlcerum causas constituunt agere possunt non video. si dicas purgatione humorū te auferre causam antecedentem, & sic per consequens impedire vlceris argumentū, cùm illi nō sint vlcerū occasiones, sed illud quod in eis continetur, frustrà te laborare quoque certū erit. purgādo enim aliquid proficis, in quantum vna cum continente contentum quoque euacuas. verùm non aufers immediatam causam siue continentem. sic clystere quidem ventrē laxas, verum morbi radicem intactā relinquis. fæces & superfluitates è corpore exturbas, sed non impedis quo minus materia peccans nō deferatur ad locum affectum. Et cū tartarus reductione curari deberet, illo relicto, vnusquisq; temerè ac sine iudicio,

quod illi visum fuit in ægrorum pernitiem experitur. Rectè itaque *Paracelsus* vlcera omnia, pustulas, ac similes ægritudines, à salibus & mineralibus originē capere ostendit. quorum differentiæ sunt non calidum, frigidū, humidum, aut siccum, sed corrosiuum, acutum, acetosum, acerbum, & reliqua eius generis. nam vti aquarum variæ sunt species, omnes tamen aquę generaliter dicuntur, sic salium varia genera existunt. quæ ex naturæ diuersitate, formā, mores, essentiam, ac proprietates habent. nā sal aliquando dulcis est, instar sacchari, aliquando acer, & acetosus, in summa tam multiplex eius species, quam sunt sapores varij. quæ diuersitas in causa est vt sal corrodendi nonnunquam facultatem adipiscatur. hoc verò vt melius nobis *Paracelsus* imprimeret, ac doceret, ad philosophiam adeptam, quæ in contemplatione mundi ac rerum in eo contentarum consistit, nos relegat. nimirum vt mundi partes eiusq; creaturas, cū generationis & corruptionis modis comparemus microcosmo ac eius partibus. id quod ille lumen naturæ vocare consueuit; vt sic ea, quæ in macrocosmo corpo-

ra-

raliter ac visibiliter continentur, in microcosmo virtute, potentia, ac facultate, inesse cognoscamus. Hacque ratione hominem microcosmum iuxta Hebræorum, ac Græcorum philosophorum mētem vocauit. qui hominem perfectum mundi simulachrū esse dixerunt. Vnde *Hermes Trismegistus* interrogatus quid homo esset? respondit esse *totum in toto*, hoc est *mundum in mundo*, ex quo considerauit eum compendio quodam totius mundi speciem ac fabricam repręsentare. ideoque naturas & proprietates omniū fructuum terræ, & omnium mineralium, in se habere. quid enim est in terris, cuius vis & natura nō insit homini? arcanum igitur hoc maximè considerandum ex magni mundi potissima, totaque materia, factum hominē, minorem mūdum. qui naturas, essentias, vires, ac proprietates, magni mūdi, creaturasq; omnes in se contineat potentialiter, vt sit essentia maioris quinta, nec non eius filius. Si itaque contemplemur quomodo in rebus externis, hoc est in macrocosmo natura agat facilè in microcosmo percipiemus quomodo vlcera in corpore generentur. nā quemad-

admodum nobis notum est in maiori mundo ex primis tribus substantijs, vndè omnia constant, duas esse, quarum altera in vaporē sublimatur, altera à calore vincitur, tertia verò nimirum pars terrestris relinquatur, quæ igni resistit. ita in corpore humano humiditas aquosa, & oleaginea siue sulphurea, calore corporis humani exaltātur, ac in sublimationem veniunt, relicta tertia terrestri ac solida, vndè corrosio procedit. quia salis corrosiui naturam est sortita, nihil enim in rebus externis corrodit, nisi quod salis naturā possidet. Hæc itaque si quis rectè ad calculum reduxerit, facilè curationes vlcerum perficiet. Sed relictis vlceribus, quid de tophis podagricis dicemus? quos ex phlegmate coagulato fieri nugantur. id si verum esset, cur non in ijs partibus generantur, in quibus phlegma magis abundat? vt in cerebro, naso, ac alijs in locis. verùm de his alias latius fauente Deo. Postremò, quid dicemus de malignitate perniciosa qualitate cōtaminans ac interficiens? quam dum accusatis probè officio functi videmini. & contenti eam denominasse, quid illa sit ac in quo consistat,
alij

alijs inueſtigandum relinquitis. ne ſepta *Galeni* tranſgredi videremini, quem tanto cultu & honore dignum cenſetis, vt nefas eſſe quicquam illi addere vel demere ducatis. víqueadeò enim apud vos obſcura eſt ac inaudita hæc tractatio, vt hactenus nulla arte fuerit compræhenſa. Galenus morbos malignos vocat, quicunque periculum minantes ſpem ſalutis non adimunt. ſed dum hoc multis alijs ſit commune, prætereundũ cenſemus. ſunt qui ad totius ſubſtantiæ putredinem ac corruptionem referant occultam. verũm ſi rogaueris quę ſit illa totius ſubſtantiæ putredo, hærent muti, nec habent quid proferant, niſi ad peſtifera deleteria & venena tanquam ad aſylum confugiant. quia vident occultiore quadam vi infenſa eſſe. cùm tamen ſi exactiori rationis trutina, rem (vt decet) èxpendamus, etiam ex Galeni ſcriptis, quid malignitas ſit colligere licebit, eo quod multa ab alijs optimè, dilucidèque memoriæ tradita, leuiter ſine vlla animaduerſione transſcripſerit. nam de vlcere cacoæthes ſiue maligno agens, inquit, vlcera cacoæthes ſiue mali-gna ea appello, in quibus

quibus aut pars affecta tam vitioſo habitu eſt prædita, vt vel optimum ſanguinem, qui nutritionis gratia confluit, corrumpat, aut id quod influit, adeò peruerſum exiſtit, vt etiã ſi pars rectè ſe habeat, ab ipſo tamen ſolo erodatur. ex quibus verbis patet vitioſum habitum tam in parte, quam in ipſo ſanguine, malignos poſſe procreare morbos. et ne quis dubitaret de quo vitioſi habitus genere loqueretur, addit quod pars à ſolo vitioſo ſanguine erodatur. Ergo eroſio erit malignitatis cauſa. ſed cùm eroſionis cauſa, nec humor nec eius qualitas eſſe poſſit, vt iam diximus, neceſſario id erit quod in eo cõtinetur. hoc eſt ſal corroſiuum, qui alio nomine tartarus corroſiuus, arſenicalis, helleborinus, & ſimilibus nominibus vocari cõſueuit, in quo ſolo malignitas ſita eſt. Hanc materiam tartari nomine inſignitam, ſecundum magis & minus, nõ modò ſalſuginoſam eſſe, ſed quãdoque arſenicali & corrodendi natura præditam, videre datur non in excrementis ſolum, ſputo videlicet, ſudore & vrina, verùm multo manifeſtius in atra vocata bile, quam Galenus ex aduſtione bilis flauæ generatam

eſſe

esse insulsè admodum docet. Cùm reuera nihil aliud sit quam corrosiuum sal, siue tartarus qui in ea continetur. crassa enim cùm sit ac terram fermentet, humorem in quo sal corrosiuum latebat, exsiccatum esse ostẽdit. quanto enim humor magis exsiccatur, tanto magis crescit tartarus, & corrodendi vim acquirit, si natura talis fuerit. eaq́; ratione partes carnosas corrodit, terramq́ue fermentat, quia ad aquæ fortis siue separationis vocatæ naturam accedit. Quicquid enim corrodit, salis naturam habeat oportet. Humori ista adscribere stupiditatis est. cùm omnis humor similaris sit, ac dissimilitudinem ex eo quod illi inest acquirat, vndè malignitas ꝓducitur. Ex his etiam patet quomodo putredo malignitatem causare possit. nam cùm illa nihil aliud sit, quam corruptio orta ab actione caloris externi in humidum, cuius finis est siccitas, certum erit siccitati, vel vt melius dicam, corpori sicco in humore occultato, corrodendi facultatem, ac per consequens, malignitatem & putredinem esse adscribendam. Et quis vnquam vidit, immo quis non rideat, tantas neotericorum medicorum, de

cau-

causa putredinis ineptias, quam dum non intelligunt mera figmenta sibi somniant, & imaginationes nulla ratione firmatas, nobis persuadere ex Aristotelis aut aliorum infidelium placitis conantur. quod si rerum naturam animaduerterent, & veritatis tā essent studiosi, quam vanitatis, non opus esset tanta verborum serie, nec tam varia disputationum rixa, libros farcire. Remedia igitur in eiusmodi infirmitatibus, nō toti substantiæ, per tacitas medicamentorum proprietates, vt vulgo fit empiricè, sed corrosiuo ac venenato tartaro adhibenda sunt. Itaque cum tā futilis sit illa crassorum, salsorum, ac adustorum humorum imaginatio, vna cum occulta malignitate, tu iudica quis ægrotos adunco naso suspendat. & an non vulgaris medicina inconcussa mendacia hactenus pro veritate obtruserit. Omitto coniecturalem esse artem, per mortes hominum experimēta facientem, vt facilè videre detur, quanto cum periculo coniunctum sit, si quis coniecturis fretus incertis, vitam suam tam dubiæ aleæ submittat. præsertim cum indies animaduertamus magnos illos morbos, apoplexiam,

am, epilepſiam, hydropem, podagram, ac ſimiles morbos, nunquam à Medicis percurari. Quis non ab imo pectore ingemiſceret medicinam tam ſacroſanctum Dei donum, auaritia,& ignorantia pſeudomedicorum, in hominum perniciem conuerti! At longum eſſet ſi vulgarium Medicorum errores (quos in noſtro de morbis tartareis libro reſeruamus) recenſere vellem. vti eſt tractatio de humoribus, quos ſtolidi quatuor ſtatuunt, cum nos niſi vnum agnoſcamus. & miror cur non quatuor terras, & totidem ignes conſtituant. miranda & abſurda confuſio, qua infideles veritatis omnis ignari, nos Chriſtianos veri ſectatores, ad ſuã inſaniam attrahere conantur. Hercules certè minori labore Augiæ ſtabulum purgaret, quã aliquis quantumuis doctus, medicinam à tot mendis elueret ac purgaret. Sed veniamus nunc ad artis magiſtros, qui artem quã profitentur ſic dehoneſtant, vt iam præclara ſcientia omnem ferè authoritatem ac fidẽ amiſerit. Quis non videt quanta ſit vanitas, ne dicam fallacia, in ſacro illo medicorũ aſylo, ad quod feré in omibus morbis longius

con-

confugere ſolent. accuſantes duorum mem-brorum contrarias temperaturas, nimirum ventriculi frigiditatem & hepatis caliditatē, vt ſic credulo ægroto, veritatis larua perſua-deant, fieri vix poſſe vt Medicus alterum, ſi-ne alterius noxa curare queat. nam cùm vē-triculus calidioribus ad curationem indige-at, hepar verò frigidioribus, vni prodeſſe abſ-que alterius offenſione, rationi ita coniun-ctum videtur, vt cùm ratione omnes inſani-re faciāt. Omitto temeraria ex vrinis de mor-bis vaticinia, nefarias ſuperſtitionum nugas, & incantationes, quibus conſpurcare ſacro-ſanctam artem non erubeſcunt. prætereo e-tiam illos qui receptarij dicuntur, & à phar-macœpeis ac alchymiſtis, abſque vlla ratio-ne integros receptarum faſciculos colligunt: & recipiūt, quibus plauſtra onerare poſſent. qui neglecta morborū per cauſas naturales cognitione & dinotione, ſola experimenta conſectantur. Reſpice tantum omnes pro-feſſiones, diſpeream ſi in vlla tantam reperies inuidiam, quantam inter Galeniſtas & logi-dedalos medicos indies regnare experimur. inter quos nunquam eſt detrectandi finis.

Sic

Sic enim omnes à se inuicem dissentiunt, vt nullus reperiatur medicus, qui citra exceptionem, additionem vel permutationem præscriptum ab alio pharmacum comprobet. nam quod probat vnus, ridet alter: nec quicquam apud eos est certi. quod si duo vel tres ad vnum ægrum tanquam vultures ad cadauer concurrant, Deus bonè, quãta emulatio, quanto studio vnusquisque apud imperitũ vulgus sibi fidem conciliare satagit! Tandem vbi post multas contentiones, ad pharmaca descenditur, in ijs etiam sunt adeò dissentiẽtes, ita ab ægrotantium salute deuij, vt eorum doctrina quam stabilem firmã esse deceret, leuis, vana, lubrica videatur. tot enim operosis compositionibus temerè, & sine methodò viribus sæpè inter sese pugnãtibus ægrotos onerant, vt ignorantiam suam hac ratione patefaciãt. quod si eorum potio, casu potius quam arte profuit, curam in cœlum tollunt: si quid nocuit, culpa omnis in ægrum transfertur. Hac ratione omnia promissa eorum nugæ, & mendacia, ex quibus (si verum fateri velis) vides, quantis periculis ægri sint ob falsæ medicinę infideliũ introductionem

expoſitum. præſertim hac tēpeſtate præ cunctis corruptiſſima. At contra inter chymicos, ſolos ac veros medicos, tanta eſt ſymphonia, & concordia, tanta conſtantia, certo ordini coniuncta, tanta conſenſio in rebus & nominibus, tanta præceptionum cohęrentia, cum verò & plano agendi modò, nō ambiguis rebus, & verbis, aut apertè falſis conſcripto, vt vno ore omnes loquentes diceres. conſidera ſi placet, turbam eorũ qui de ea arte aliquid memoriæ prodiderunt. an non omnes grata conſonãtia, circa eandem materiam, abſque vlla controuerſia, verſentur. ex qua docent ſummam perfectionē in ea cœlitus poſitam, de potentia ad actũ producere. ita vt ad ſummum decoctionis gradum deducta, minima portiuncula, quoquo modo ſumpta morbos omnes indifferenter curet, nec vlla multitudinis morborum varietas reſiſtere illi poſſit. ita vt verè medicina dici mereatur. quã Deus antiquis patribus reuelauit, per ſpiritum ſanctum ſuum, qua carnis corruptiones tuerentur, & potiſſimum ijs, quibuſcum locutus eſt ac fœdus inijt. verùm quemadmodũ poſterius ſæculum, à vero Dei cultu degenera-

uit,

uit,ita non mirùm ſi in reliquis mens mortalium cæcutiuit,ac in labyrinthum ducta,iam hanc,modò aliam herbam, cras iſtam & aliã radicem; poſtridiè metallum ac mineralia, abſque iudicio expetiuerit. ita vt nunquam ſcopum attingere potuerit,nec ſuæ doctrinę vllam habuerit certitudinem. quis igitur ex vulgarium medicorum diaphonia,ignorantiæ ſuſpicionem non habebit? ſicuti è diuerſo, ex ſymphonia chymicorũ iuſtam & magnam eruditionis ſpem ſibi pollicebitur? Concludamus igitur,ſicuti ex veteri illa medicina chymica, benè intellecta, atque vſurpata, omnium hominum integritas, robur, ac vita ſeruatur,ac reſtituitur: ita ex noua hac & vulgari,vaga,incerta,errabũda,paucis demonſtrationibus fulta,plæroſq; inſalubritas, vitæ breuitas & inopinata mors occupat.

LIBAVIVS.

Tu ipſe iudica an non eſſentia miſti ſit miſta. At ſuis coctionibus miſturam perdit ille tã præclarus artifex. Craſi deſtructa quidnam promet ex olla? Lutum nempè καὶ κόπρον *ſeu cineres fauillamq́ʒ, vt pronunciat philoſophus. Si ita laborare artis eſt;*

quemcunque corruptorem deprauatoremq́ natu-ralium pro artifice habeas. Quicquid in natura destruitur mistum, id simul perit totum, inq́ vltima redit. Non enim equi cadauer soluitur in truncum & membra, nec hæc vicissim in homogenea & heterogenea, ossa, carnes, cartilagines, cutem & reliqua. Ita si quid comburas, nō exit seorsim sanguis, neruus, vena; sed omnia simul eodem atteruntur infortunio.

RESPONSIO.

Essentiam misti ex quatuor elementorum mistione natam (vt tanquam alter *Errastus* præsupponis) mistam non esse vera demonstratione, si expatiari liberet ostendere possem, etiam si tuus Aristot. de re dubius, nonnunquā manere, aliquando aboleri, vel obscurari miscibilium formas contra *Hippocratē* fateatur. Sed tu ipse iudica, an non essentia asini sit asinus. præterea an non essentia misti sit substantia, quæ cum accidētibus nihil commune habet. quomodo suis coctionibus misturam perdere præclaros artifices asseris, qui chymicas operationes aut coctiones, nunquam videris, sed in agyrtarum officinis versatus, circa eiusmodi operationes chy-

chymicos versari existimas. Sed cōcedamus coctura chymicorum misturam perdi, quid inde sequetur, quam quod chymicus naturę vestigia sequens, vt terra seminis misturā perdens, ex eo meliorem formam producit: ita eum subiecti formam immutantem, prę stantiorem introducere. Addis insuper crasi destructa, chymicum ex olla non posse promere nisi lutum, fauillam, & stercus tuis simillimis dignissimum pabulū. quomodo ista cohærent, mi *Libani?* primo egisti de essentia, nunc de accidente agis. at deliras profectò, si existimas ablata parietis albedine parietem destructum iri, antea diximus, crasim ad mixtionem nihil pertinere, cùm vmbra eius sit. Et erras miser toto cœlo, qui qualitates cum rerum substantijs confundis. nō ignoramus *Galenum* temperamentum, formam substantialem rerum definiuisse, sed ad tales absurditates iamdudum occalluerunt aures nostræ: nec approbamus eam opinionem, quia temperamentum primarum qualitatum minimè est rei substantia, quod ex eo patet, quia temperamēta, & primæ qualitates, proximè mouent sensum. substantia verò sensu non per-

ripitur. inſuper variantur ſine varietate ſubſtantiæ eius, cui conueniunt. propterea eſt neceſſe, vt res à forma præſtãtiore dirigãtur. His accedit quod ſi formæ rerum natura cõſtantium, eſſent qualitates & temperamenta, omnino cum alijs philoſophis ſentire poſſemus ſolam materiam eſſe naturam, & eſſentiam rerum, cætera autem eſſe affectiones & habitus earum. quod eſſe abſurdum, & ab *Aristo.* & *Platone* oſtenſum fuit, propterea vt ſupra diximus, ita nunc confirmamus, formã eſſe rerum perfectionem, à tẽperamento diſiunctam, quamuis neceſſarium materię temperamentum nõ reijciamus. vis de miſtione verba facere, cùm nec quid miſtio, nec quid miſtum ſit, multo minus vnde miſtio fiat intelligas. an putas me ignorare inter vos controuerti, vtrum elementa in miſtis ſint poteſtate, vel actu, et ſi actu an qualitate tantũ, vel ſubſtantijs miſceantur. inſuper nondum deſignatum eſſe locum quo ablegentur elemẽtorum formæ in mixtis. vtinam phiſicam veſtram ad ſenſus regulam, & non imaginationes ſiue ſomnia inſtitueretis. vt ſi quis rogaret quo tandem pacto ſenſibilia corpora,

ex elementis non ſenſibilibus, acida ex inſipidis fiant, reſpondere poſſetis, veni, tange, vide. nunc è contra, crede dicitis, contemplare, imaginare, quid enim calamitoſius accedere poteſt, quam ſuæ artis fundamẽtum conſtituere credulitatem, cogitationem, ac falſam imaginationem. Sed quid abſurdius, quam illud quod epiſtola quinta ſcribis, totam ſubſtantiam nec materiam eſſe, nec formam, nec craſim elementariam, ſed conſpirationem quandam omnium ſubſtantiæ virium ad effectum eundem, illiſq; conſentaneum: nec materiam agere, nec formã ſepatim, ſed in vnione per cõtemperationẽ coëuntium elementorum facta. ac alio loco parum memor eorũ quæ antea ſcripſeras, craſim dicis eſſe formam miſti qua miſtum, ac ab ea pendere virtutes. quaſi verò aſinus non ſit forma aſini qua aſinus, & ab ea forma non autem craſi depẽdeant operationes aſini. non negatis naturam miſtionem efficere, ſed eam qualitatibus tota alterare potẽtibus vti conſtanter aſſeritis, ac perfricta frõte mentimini, quaſi verò ſubſtãtia accedẽtiũ adminiculo ægeat, ad producẽdã actionem.

& ſic adulterina dogmata, aç inania ſomnia obtruditis, falſa pro veris ſupponẽtes, atque ita veram ſcientiæ lucem, aut prorſus extinguitis, aut certè veſtris nebulis ſic obſcuratis, vt veritas à mendacio diſcerni vix poſſit. Deſinas igitur de miſtorum eſſentia tractare, ac prius inter vos componantur diſcordiæ, quæ circa aſini vmbram verſantur. nec eſt quod *Ariſtot.* ac aliorum infidelium authoritate, imaginariam miſtionem veluti phantaſma quoddã velis nobis obtrudere, cùm ipſe *Ariſtot.* difficultati cedens rem, incertiſſimã, obſcuriſſimamq́ue indefinitam reliquerit. At uos qui mordicus eum ab errore vendicare omni conatu ſtudetis, nõ pudet agere de mixtione, ac tanto labore & contentione eam elaborare, quæ nulla in vniuerſa natura qualem conſtituitis apparet. Abſurdũ enim eſt, ſingula elementa, eaq́ue inter ſe contraria, proprijs formis inſignita, ita cõcurrere, vt ex diſcordi concordia, in vnum conſpirent, manente contrarietate, quam ſi deſinere dicas in mixtione, contraria eſſe ceſſabunt. at hoc fieri non poteſt, quia contraria agendi facultate prędita, ſi re ipſa manet, nullo modo ceſ-

ſare

ſare poſſunt à pugna. natura enim mutare ſe aut obliuiſci ſui non poteſt. quæ contraria ſunt ſemper contraria manebunt. quare fruſtrà imaginamini dum cõmittũtur, cõtraria eſſe deſinere. quia hoc fieri poſſe negamus, quocirca & reliquum. Nos verò ſepoſitis eiuſmodi ſubtilitatibus, ex naturæ lumine & ſolidiori doctrina inſtructi, elementorũ corporales ſubſtantias in mixtis non agnoſcimus, ſed tria tantum principia, quæ ſuis formis prędita, in prædeſtinatos fines prorumpunt. Garriant neoterici ad rauim vſque, & cœlum terræ miſceant, vt Ariſtotelis ſententiam quæ in ſcholis infidelium didicerunt, de tribus imaginarijs principijs tueantur, nihil ad nos, permittimus vnicuiq; garrire, oblaterare, vociferari. non enim veremur ſonoros crabronum ſtrepitus, qui magnitudine ſolùm horribiles ſunt, aculeis verò deſtituũtur, & faciant quod poſſunt, victoriam nunquam aſſequentur. interdicant nobis aqua & igni, quod poſthabitis Ariſtotelis & Galeni canonibus, nouas, eaſque forſam ipſorum delicato cerebello abſurdas, obtrudere Chymicas audeamus. non ideò veritatis patroci-

nium

nium deſeremus. Fremat igitur orbis, rugiat orcus, ad veritatis cognitionem opus eſt philoſophica ingenij libertate, nõ coacta diſcernendi, iudicandiq́; facultate ad placitum huius vel illius magiſtri: & nos qui longè feliciori ætate geniti ſumus, propterea quod lumen à vero lumine intuemur ac contemplamur, nulliſq́ue authoritatum fictionibus ducimur, neque apud vllum nomina profeſſi ſumus, è contra ridemus, abſurditates *Erraſti*, qui contra *Paracelſum* fulminans, differentiam inter principia & elementa ponit: & hæc eſſe corpora naturalia ſimpliciſſima, ex quibus mixta omnia conflata ſunt, illa verò tanquam elementorum elemẽta, quæ diuidi niſi ſola cogitatione poſſunt. quaſi verò rerum exiſtentium ſomnia ſtatuenda ſint principia, quid enim turpius magiſq́ue pudendum eſſe poteſt, quam nugas contrectare, & fonte veritatis omiſſo opiniones hominum nulla ratione fundatas ſectari. præſertim cùm ita comparatum ſit, vt nullus ſuauior animo cibus exiſtat, quam veri cognitio. verùm de his alias fauente Deo. nunc tantum Chymica tractamus. in quibus ille non minus

minus à recta via errauit quam in ſuis fictici-
is ac imaginarijs elementis & principijs. Sed
d vſu venire hoc duro ac ferreo ſæculo vi-
demus, vt ſi quid in lucem adferatur, ex in-
dubijs veræ philoſophiæ fontibus, quod e-
tiam in vtilitatem omnis Reipublicæ reſul-
tet, ſi non Græcorum & infidelium doctri-
næ ſit conſonum, ab ijs præſertim contem-
natur & reijciatur qui ſuccum illius hauſêre
ſtudij, quod inanis illa philoſophorum infi-
delium ſchola commentata eſt. quaſi verò
nihil boni aut veri ſit, præter id quod ab in-
fidelibus veritatem ignorantibus ortum ac
productum eſt. Verùm redeamus vnde di-
greſſa erat oratio. Craſi ſiue temperie deſtru
cta, eſſentiam miſti nō mutari dicimus: quia
miſtionis nomen corporis compoſitionem
denotat. at temperamentum qualitatum cō-
plexum exprimit. miſcentur igitur corpora,
ſed temperantur qualitates. quare nugaris ſi
deſtructa craſi miſtum corrumpi cenſes. &
ipſe tibi contrarius ſequenti epiſtola miſturā
natiuuā in omni opere non perire affirmas.
nos quoq; in cunctis rebus miſtis, eſſentiales
poteſtates elementorum non tolli ſcimus,
ta-

tametsi actus eorum aliquando retundatur atque impediatur. & falsum est, perire res cõtinuò ac mutatum est quouis modo temperamentum, sed cùm fines & latitudinẽ excessit, quæ formæ propria est. quamlibet enim formam temperamentum sequitur certum. Facessat itaque declamatoria tua ars, cũ pædagogica philosophia, in qua nũc passim ferè omnes scholasticorum turba, cum misero labore ac damnabili studio occupata, nihil magis agere videtur, nisi vt discat errare, ac perpetuis digladiationibus veritatem obscuriorem reddere. adeò vt non tam victoriam appetat, quam certamen, nec veri inueniendi sed altercandi propositum habeat. Sed tãta est hodie hominum vesania, vt nullam existiment sapiẽtiam extra scholas infidelium, & qui hac sola sunt imbuti, non vident differentiam inter verum & falsum. nam quod cortex est arboribus, ac alijs rebus, hoc ipsũ est litera doctrinaque infidelium. Cõcludo igitur chymicè laborare, veræ artis esse: corrumpere ac deprauare, tuis operationibus libro secundo tuarum epistolarum compræhensis, relinquimus. In ijs quæ de cætero ad-

dis

ctis centones farcire videris. vt eſt illud ineptum, falſum, abſurdum axioma tuum, quo aſſeris quicquid in natura deſtruitur miſtũ, id ſimul perire totum. ſic ex fantaſtica propoſitione, fantaſticam colligis conſequentiam, quam in ſcholis declamandam tibi libẽter relinquimus. In deſtructione miſti denuò laqueos tendis & quid per miſti deſtrućtionem intelligas, nõ ſatis aſſequor. Credo te Heracliti in morem de induſtria obſcuritatem affectare, vel ſuperſtitioſa vocum affectatione, ſtylum diſtorquere, ac nebulas offundere, vt vate magis egeas quam lectore, nam ſi intelligis quicquid miſtum à natura deſtruitur, id totum perire & in ultima redire, falſum eſt. vt enim antea diximus, plurima indies & à natura & ab arte, & generãtur & deſtruuntur, nec non in meliorem ſtatum tranſmutantur, quæ non in vltima redeunt. perire quidem indiuiduum illa forma procreatum videmus, verùm ſtatim in vltima redire, etiam ſi deſtruatur miſtum, non conſequitur. nihil enim in vltima, redit niſi quod in tria prima principia reſolutũ eſt. vnde non mireris ſi equi cadauer non ſoluatur in trun

cum & membra, nec hæc viciſſim in homogenea & heterogenea, oſſa, carnes, & reliqua, cauſa eſt quia non ſunt vltima in quæ reſolui debent. non enim ſunt principia ex quibus conſtant. etſi igne examinaueris ac reſoluas, non eſt neceſſe vt ſanguis, neruus, & reliqua prodeant, quia vltima non ſunt, ſed in tria principia ex quibus compoſita ſunt, neceſſario redibunt. quod nouerunt artifices.

LIBAVIVS.

Iam autem quod ad vltimum redactum eſt, id ancipitem habet ad omnia facultatē. Omniū enim materia eſt τὸ ἔχαλον *Elementa* καὶ ὕλη *verè ſunt* πανσπερμία *quædam ſeu omniſeminarium. Quamcunque formam contingit ab aliquo operante immitti, eam capit. Si Chymicus formarum eſſet largitor, creator foret, qui nouas generare poſſet rerum ſpecies. Omnium item motuum naturalium, articulorumq́ eſſet conſcius. Sic enim non aliter pro arbitrio formam largiretur. Sed quis tam prodigioſè amens ſit & impius, vt vel ſibi iſtud vel alteri hominum, ne ſi Prometheus quidem ille fabuloſus ſit, tribuere auſit. Si itaque quid procurat, id totum fortunæ erit, quo pacto cur nō fiant omnia ex omnibus, cur nō pro alexipharmaco venenum?*

Re-

RESPONSIO.

Quemadmodum nix quo magis ad ſolem exponitur, diligentiuſq; puerorum manibus tractatur, eo magis funditur & colliquatur. at quæ natura ſolida ſunt, magis indurantur, ita opiniones falſæ, dum ad rationem expẽduntur diffluunt, verę autem magis ac magis firmæ euadunt. Quod ad vltimũ eſt redactũ, id ancipitem habere ad omnia facultatem, quia omnium materia eſt τὸ ἔσχατον philoſophorũ eſt delirium. Et quãuis Ariſto. aſſerat, vnum eſſe aliquod omniũ rerũ ſubiectũ, tanquam materiam ex qua cunctæ res oriantur primo, & in quod reſoluuntur vltimo, tamen nos materiam primam adeò informẽ, vt omni careat qualitate ac quãtitate, & formam occultiſſimè in formantẽ materiam, ac priuationẽ imaginatione cõſtitutã, vt principia non agnoſcimus. quia nemo vnquã nec cõpoſitione nec reſolutione ad illa tria perueniet. quocirca nullus vſus in miſtis illorũ oſtendi poteſt. quia fictæ res nõ ſunt rerũ naturaliũ partes, multo minus ipſius naturę. nã forma, materia, & priuatio, vt principia rerũ nuſpiã ne ſubtiliſſimo philoſopho apparent.

&

& nihilhominus volunt ea esse principia naturæ, quæ sua agit reuera & non imaginariè. gignit enim natura corpora ex corporibus. quocirca nec alia agnoscit principia quam corpora. hoc est salem, sulphur, & mercuriũ, quæ sensus depræhendit, & ratio commonstrat, Deusque creauit, & in quouis corpore reperiuntur, licet plurimum contegantur. & quamuis tu illa non recipias, quia priora dicis esse elemẽta, nec per ignem benè demõstrari posse, quia vim rebus adfert, nos ratione à natura petita probamus. nam dissolutio docet constructionis methodum. in quęcũcunque verò corpora omnia dissoluũtur vltimò, ex ijsdem quoque cõponantur necesse est. sed in sulphur, salem, & mercurium, omnia vltimò resoluuntur, vt experientia indies manifestissimè demonstrat, ergò principia rerum sunt constituenda. quicunque enim aliquod corpus compositum diligẽtissimè in partes spagyrica arte dissoluit, vel obseruet dissolutionem absque hominum opera fieri, semper inueniet tendere, ad ista tria tanquam ad sua principia certissima & non hominum arbitrio cõstituta, ac leui iudicio

ap-

approbata,&ineptis dum epist. vigesima prima lib. pri. elementa tanquam prima & simplicia corporum esse censes.&omne mistum non in salem, sulphur & mercurium facessere,sed in aquam & συστοιχα: sed obsecro quae erunt illa confinia, aut cognata, aut propinqua, nisi terra & oleum. vides ne quomodo tuo te gladio iugules,& velis nolis tria illa rerum omnium principia ac fundamenta constituere cogeris. Quare verò ethnici doceant plures corporum naturalium partes non video,nisi quod resolutionem ignorarunt rerũ creatarum, & creatorem ipsum ex veritate non cognouerunt,quo factum,vt nõ nisi per fallacissimas vmbras de singulis & de natura iudicare potuerint. vt constat ex principiorũ explicatione. nam de ijs tot extant opiniones quot scriptores. Iam puto intelligis quomodo equi cadauer nõ resoluatur in ea quae tu absque iudicio garris. Deinde cùm addis elementa & materiam esse panspermia, videris fastu quodam vel confundere materiam cum elementis,vel ignorare quid elemẽtum & quid materia. iam diximus vestram materiam esse rem imaginariam, neque id etiam

negatis, sed si materia cū elemētis sint omniseminarium, ergò ex re imaginaria & ex re de qua non cōstat quid sit omnia generabūtur. nā vt supra adnotaui adhuc inter vos digladiamini de mistorum substantia. an illa ex elementis constet aut eorum qualitatibus aut formis. deinde vtrum in mistione intereant an supersint. merito itaq; non concedimus, materiam cum elemētis esse panspermia. nā eleméta dicimus esse omnium rerum matrices & receptacula, ex tribus principijs composita, in quæ etiam resoluuntur. sunt enim prima corpora composita, ac suis gradibus distincta, quorum vnumquodque suæ naturæ fructus producit. vides ne tādem quid sit illud ἔχαλον quod nobis persuadere conaris, & hactenus nunquam reuera sed imaginariè tantum intellexisti. Quæ præterea addis si ita se haberent, vti fieri scribis, veritatis clypeo se defendere possent. eaque conditione quæ sequuntur accipimus. Et quia in superioribus satis ostensum fuit Chymicum non esse formarum largitorem, tuas nænias libenter præterimus.

LIBA-

LIBAVIVS.

Rectius horæ collocantur in naturæ integritate ſpectanda. Abundantiſsima hæc ſylua eſt. Innumeris hominum ætatibus non poteſt conſiderari percurriq́; quin ſemper aliquid denuo notandum illa ſibi ſeruauerit. Hem tibi diuitiarum copioſiſſimarum mare. Hoc ingredere. Hic te exerce contemplando. Vita te deficiet prius quam omnia luſtraueris. Sunt & veterum philoſophorum monumenta tam plena abſtruſa cognitionis, & ſolertium inuentorum, vt hæc cognoſſe ſit laboris ſtudijq́; penè infiniti. Multas vidiſti academias Germanas Italaſq́; & Gallicanas. In qua non laborem illum laborioſiſsimum, quo explicantur ſaltem veterum ſenſa & phraſes, deprehendiſti? Tantum negotij eſt homini ſtudioſo, tantumq́; difficultatis, vt ſaltem ſermonem philoſophicum diſcat intelligere & rectè interpretari. Hinc tot controuerſiæ ſcriptæ; hinc tot certamina inſtituta; hinc tot ampliſsimæ enatæ ſunt laudes, vt ſi quis interpretem duntaxat agat bonum, nihil ſibi deeſſe ad omnia ſumma putet. Quo vultu ergo auſit quis poſthabitis illis omnibus chymiam irrepere? Poſsitne in illa verſari ſine interprete? An tam delirus ſit, vt quæ à mundi exortu tot anxia ingenia ſolicitè inuenerũt, tradide-

diderunt q; per tot seculorum successiones, se vnum, eumq; momentaneæ vitæ sine magistro inuenturum comprobaturumque arbitretur? Sed & finge istud fieri posse, existimatione. Ars enim non est nisi quæ vsu & experientia multorum est constituta compertaque seculorum, & à plurimis sapientissimis commendata. Mitto ista omnia.

RESPONSIO.

Rectè sanè *Crenandrum* nunc ad philosophiã adhortaris vt in naturæ integritate spectanda se exerceat, eo quod ibi diuitiarũ copiosissimarum mare sit propositum, ne tu egregiè ingenium tuũ declaras. Siccine è philosophia ad diuitias, habendi desiderio quasi inflãmatus raperis? vt nihil amplum, nihil præclarum, nihil ingenij contentione dignũ putes, cuius beneficio nõ turgescant loculi? At ego contra rerum agendarum honestæq; actionis atque officij vim in benè constitutis hominum mẽtibus esse planè arbitror, vt ad ea quæ nõ nisi summo labore atque difficultate, confici possunt, vltro animum impellat, vt etiã detracta omni vtilitate, sine vllis præmijs in id quod agi oportet, & in quo officij ratio

ratio posita sit sponte homines ferãtur, vt sic officia non ex vtilitate sed charitate Christiana metiantur. qui enim ea neglecta suo tantum commodo studet, procul dubio fucatè ac simulatè, & prætextu quodam veritatis omnia agit, nec ad rectum agendi finem respicit. at miror cur non ipse hoc consilium secutus, potius animum ad sciendum quã detrectandum applicaueris. nam quod ab ineunte ætate, philosophandi finem tibi proposueris vt omnia ad cõtentiosas scholæ disputationes referas, & lucem tenebris, veritatem mendacijs præclaram artem ipsa veritate stabilitam, inani atque ementita theoria opprimere ac euertere conaris, ridiculus videris. Si enim vita te deficiet priusquam omnia lustraueris, cur in nugis & controuersijs, tẽpus consumis? cur non abstrusa veterum monumenta inuestigando te ipsum exerces? habes Germanos, Italos, Hispanos, Gallos, Anglos qui multa præclara edidêre, absque verborũ contentione, aut rixa, ex illis quæ in alijs vetustioribus abstrusa sunt, explicãtur. Et quãuis multum difficultatis sit sermonem philosophicũ intelligere ac rectè interpretari, non

propterea desistendum, nec inuentiones & experientiæ tantorum virorum propterea explodendæ sunt, quia quorũdam de his vel nulla vel lãguida est assensio. nam labor improbus omnia vincit. Et laborando intelliges longè alium Philosophorũ sensum esse quam vt eum percipiant vel thrasones gloriosi, vel imperiti, auari, ac turpes circumforanei, quos sanctissima hæc scientia nunquã in penetralia sua intromittet. multas controuersias esse scriptas, multa certamina esse instituta ex malè intellectis libris, non ignoramus: sed quæ causa, nisi quod qui sophistarum scholis sunt alti, nugisque, ac paralogismis referti, solidior doctrina prodesse non potest. nam quemadmodum impura corpora, quanto magis nutries tanto magis lædes, sic animum opinionibus prauis imbutum, nisi prius ab eis expurgaueris, ne musæ quidem ipsæ recta docere possent. Videmus enim eos qui vitijs animum deprauarunt, & rationem corporis affectibus subiecerunt, corrigi vix posse. mulo difficilius eos qui sectis prauis sunt addicti emendabis: nam scientiarum errores intellectum ita obsidient;

dent, vt nullus locus dicendi, ſuadendi aut demonſtrandi relinquatur. vt verò cognoſcas quo vultu *Crenander* in Chymiam irrepere audebit. ſcias illum agricolę exemplum imitaturum, qui priuſquam terræ ſemina mandet ſpinas, herbas, ſentes, radiceſque omnes euellit, omniaque breuiter quæ poſſint tritici germinationem impedire. ita ille relictis philoſophorū infidelium nugis, verſabitur in chymicis, nec vlla eum franget ac emoliret difficultas. nec erit delirus ſi Chymicorum ſecreta, obſcura, & intricata conabitur intelligere. nam cùm tantoperè ab excellentiſſimis illis hominibus hæc ars obſeruata atq; exculta fuerit, quid impediet, quo minus ad eam excolendam illius quoque conferatur ſtudium: præſertim cum libero homini dignum ſit introſpicere, quid natura clauſo pectore gerat. vtinam plures haberemus, qui vera animi propenſione Chymicarum artium ſtudia fouerent atque amplecterentur, non dubitò quin illa quæ nunc penitus conſopita iacet, paulatim oculos attolleret, & ingenia quæquæ præclara honeſtiſſimarum vigiliarum præmium ferrent.

Scio multa ſacro inuolucro tegere naturam, ac multa perfici occulta abditaque facultate, quorum non facilè ratio iniri poteſt. quia innumera ferè ſunt conſpicua ad quorum naturam penetrare acies ingenij humani non poteſt, cùm effectum rei conſpiciamus, cauſam verò ignoremus,& qui hoc non perſpicit,ille ſua quadam perſuaſione cæcus eſt. ſed audendum in rebus arduis, nec illum retardabunt irriti multorum conatus. ſed illud infidelium ob oculos verſabit. pauci quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.fuerunt alij ah quid miſer dico fuiſſe, imo ſunt hac tempeſtate plurimi,qui in hac palęſtra ſe exercuerunt,ac fœliciſſimo ſucceſſu exercent, ac artem multorum experientia comprobatam, ſunt adepti. illos imitandos ſibi proponet,non tuos carbonarios, qui inani Philoſophæ titulo turgidi, & in ſumma optimarum artium ignorantia, montes aureos ſibi ac alijs polliceri non erubeſcunt. quorum ſapientia vi ignis partim in cineres ſalſos, partim in mercurialē fumum, partim in ſulphureā vertitur flammam,digni certe qui in hanc quam plenis buccis iactant materiam primam præcipitentur.

LIBAVIVS.

Quid operæ precium ex sudore chymico te reportaturum opinaris? Hominem (vt antè dixi) obliuisceris: corpori tuo sulphureis & mercurialibus fumis, ignium halituosis spiritibus, & prunarum fauilla immedicabilem comparaueris noxam. Tempus insuper quod corporis debetur quieti perdes. Nam non diu tantum, sed & noctu aduigilandum est flammis. Vsum valetudinis tuæ subtrahes Deo; subtrahes patriæ; intercipies amicis; surripies filiis, & propinquis, non nisi iam tabe correptus exesusq; morbis & sepulchralis factus, manus hominum incurres, nec Deo nisi in lecto seruies. Quo scelere poteſtne quippiam esse maius? Ingenium à natura accepisti ad omnia præclara natum, quotq; laude hominum poterat cœlum attingere. Tu chymicus factus illud damnabis tenebris, & in imum terræ barathrum præcipitabis in Trophonij antro & specu plutonico auernoq; mineras manium per ignes exagitando frustrà. In oculis & admiratione omnium poteras versari. Chymiæ opera eris in contemptissimis. Quid enim vilius rerum decoctore? Quid abiectius chymista? Mendacem & futilem hominem nominare qui volunt. Calenda-

dariographum dicunt, at qui ſceleratum ſimul impoſtorem, chymicum. Chymico conueniunt, & aſtrologica mendacia, conueniunt adulteria auri, gemmarum & omnium rerum. Chymicus ſi fuiſſet nullus, mundus exquiſita infamia & facinoribus turpiſsimis careret.

RESPONSIO.

Hic iam caninam facundiam, vt in prouerbio eſt, exercere incipis, nec tam argumenta, quam maledicta euomis, quibus reſpondere nolo, cum non tanti ſint momenti vt nobis eripiant fructum ac deijciant de poſſeſſione. ſed veniant in medium veteres omnium philoſophorum greges, ex quorũ fontibus varios ſcientiarum riuulos eſſe deducendos, doctiſſimi pleriq; cenſuerunt Et inde rerum omnium cognitionem hauriendã. cedo quot quantoſque labores ſuſceperũt in earum rerum indagatione plurimi, quarum cognitionem quia nunquam ſunt adepti, vanam eſſe ac inutilem, vt tu, oſtendere ſunt conati. non enim in obſcuro eſt, multos pro virili depugnaſſe, vt artem ſtabili fundamẽto confirmatam, machinis diſturbarent ac peſſundarent. verũ ſuperfuerunt ſemper homines ingenio-

ſi& pij,qui garrulis his laruis ſeſe ſtrenuè oppoſuerunt. & quanto magis veritati reſiſtere conati fuerunt, tãto nudius inſcitiã ſuam ac ingenij ruditatẽ ac cæcitatem detexerunt.Et ne vetuſta exempla producã,quis hac noſtra tempeſtate non rideat inter reliquos garrulũ illum hallucinatorem ac fanaticũ *Erraſtum*? qui in chymiam inſaniam ſuam euomens, propter innatam mentis ambitionẽ, propter infixam cordis veſaniam, propter inſitam animi peruerſitatẽ,omnes illos priſcos doctiſſimos viros,quorũ memoria omnibus ſæculis ſumma laudis celebratione venerata fuit, fera quadam proteruitate cõtemnens repræhendit, culpat,ac aſpernatur. nullũ præterit quem non lingua ſua carpat ac rodat. ſine diſcrimine omnes accuſat. quod originem metallorũ ignorẽt. quod impoſſibilẽ metallorum tranſmutationem doceant. tertio colophonem operi addens,lapidẽ philoſophorum inane, impiumq; figmentum eſſe impudenti audacia aſſerit. ſed quomodo poteſt aliquis improbare ac reijcere ac confutare ea, quorum notitiam nullam ſibi comparauit? qua (obſecro) ratione poteſt ille
cum

cum ſuis ſequacibus *Paracelſum* inter cęteros carpere dum *Paracelſi* ne minimum principium intelligit. diſcere prius eius mentem & ſic rationem rationibus,non iniuria corrigere dęcebat. & mirum hactenus nihil contra illum edidiſſe iſtos garrulos, quod non ſit in eius maximam laudem. quem nihilominus ignominioſè tractaſſe putant: adeò maximè hoc tẽpore vſu venire videmus, vt quicquid ignoretur etſi veriſſimum exiſtat, vilipendatur: ab eis præſertim qui doctrinas hauſêre fallaces gentilium. Admiranda profectò res, tam multos, tantis laboribus ac moleſtijs ſe ipſos conficere, vt artem quam non poſſunt aſſequi,vatiniano odio proſequantur,ac miris artibus putida dicacitate, ac ſophiſmatibus,illam inuoluere ſtudeant. vnde verè dicitur artem non habere maiorem inimicum quam ignorantem. Et tu qui eius veſtigia tuis in ſcriptis ſecutus eſſe videris, ſi ex opere chymico nõ exiſtimabas aliquid operæ precij dignum te poſſe nanciſci, cur ad *Hubuerũ* ſcribens,noſtram medicinam iſta cõtemplatione nõ parum adiuuari, & te eo ſtudio delectari aſſeris? an vt corpus tuum tenebris dam-

damnares, & in terræ barathrum præcipitares, vel potius imposturis, mendacijs, sceleribus te cõtemptum redderes. sed cur multorum negligentiam ac deploratam stultitiam accusas? quod eam physicæ partem quæ de metallurgia & mirabilibus in ea operationibus, neque excolunt, neque alios in eadem desudare permittunt? qui tamen accusandi non sunt, si rectè metallurgiam ex chymicorum officina in exilium mittant. sed cur tot annis ac tantis conatibus amicitiam pseudochymicorum non solum ambiuisti, sed libris editis alios ad similia studia excitasti? tanquã si conareris mundum exquisita infamia & facinoribus turpissimis replere. nam si quis rectè consideret prę ter fumum, cinerem, sudores, suspiria, verba, dolos, ignominiam, nullos alios ex lectione illorum habebit successus. vt interim taceam nullos ad diuitias euectos, sed multos à diuitijs ad inopiam redactos, tuis illis operationibus sæpè nos vidisse. Certè indignum est domesticum thesaurum calumniari. Sed his semotis, quæris non immeritò quẽ fructum ex opere chymico *Cremandrum* se reportaturum existimet? quia il-

lud

lud te latêre ſcio, reſpondeo, non panacæam tuam confictam, quam te cōſecutam tuo ingenio gloriaris, ſed veram illam atque omnibus numeris abſolutam medicinam. quam Deus è terra creauit, & quam vir ſapiens nō abhorrebit, quæ non in arte aut ſcientia ſita eſt, ſed in ſubiecto ſiue materia quadam ſenſibus obuia, quæ debitè præparata & adminiſtrata humanos languores auferre poteſt, adeòque medicina rectè appellari. & qui illā rectè præparare poteſt, & Chymicus & Medicus vocari iuſtè meretur. Quid enim pulchrius aut vtilius, quā multis & varijs morbis huius artis beneficio leuari, & optatū ſentire reſtitutæ ſanitatis fructum? tum propter ſubiectum adeò nobile, tum etiam quia methodus curatiua, in vniuerſalibus tantum conſiſtens, neminē perfectè ſciētem reddere queat, niſi in particularibus exerceatur. ſola hac medicina perfectionem medicus adipiſci poteſt. quia per eam vitæ balſamus, hoc eſt humor radicalis ac calor innatus, quātum fieri poteſt augetur, & à corruptione prȩſeruatur. quibus deficiētibus corpus omne leproſum efficitur. Hanc medicinam quærere, non eſt
obli-

obliuiſci hominem, nõ ſulphureis & mercurialibus fumis, ac ignium alituoſis ſpiritibus, prunarum fauilla immedicabilem noxã cõparare, ac tabe ſe ipſum conſumere. Eiuſmodi ἀποφράδες deteſtatur Chymicus, qui tẽpus quod corpori debetur nõ inutiliter tranſigit, etiam ſi diu noctuq; illi vigilandum ſit. ſtudioſis enim hoc propriũ ac peculiare eſſe nouit. & ſi vlla artium requirit induſtriam, chymia poſtulat. & ſi valetudini aliquid decedet, habebit vnde reſarciat. quia medicina illa ingenium humanum acuit, nobilitat memoriam, prudentiam, honeſtamq; audaciã cõciliat, corpus verò à morbis & paupertate vindicat. Sed demus aliquid moleſtiæ ineſſe: quæ pulchra ſunt difficilia eſſe conſtat, & præſertim ea quæ à cõmuni hominũ opinione longè diſtant. & quis vnquã ſine labore & periculo, claritatẽ nominis eſt cõſecutus? nõ ſolẽt ignaui & otioſi trophęa ſibi erigere. pręclarus hic ſtudiorũ fructus, magno labore partus, nõ caret ſua victoria, & ſolatio maximo eſſe ſolet, & tũ maximè cũ ſuppetent facultates, vt patrię, amicis, filijs, ac ꝓpinquis beneuolus ſis. nec nõ Deo ſũmas aget gratias
quod

quod ingenium ad præclaras res capeſcendas illi largiri ſit dignatus, in quibus vbi profecerit, nihil ei poterit ad ſummã deeſſe laudem, ob artis diuinæ & à vulgo remotiſſimæ admirationem admirabilem. Et quis ea ſtudia non ſequetur, quæ neque ignominiam, neque damna, neque temporis iniuriam recipere poterunt vnquam. aliæ enim artes per totam vitam exercentur, hæc autem ſemel inuenta, exercitata, & perfecta repetitione non indiget. cùm operans ditatus ſit & votii compos ſui factus. Itaq; laude hominũ celebratus cœlũ attinget quid in hac vita præſtãtius, poſt Dei cognitionẽ contingere poteſt.

LIBAVIVS.

Qui tonitrua illa humana, peſtem perniciẽque & ſtragem non viuentiũ tantum, ſed & inanimatorum inuenit, chymicus fuit. Execrabilè illud omnibus ſapientibus inuentum eſt. Qui chymiæ ſuam operam addicit, illorum omnium ſe approbatorem cultoremq́ profitetur. Hic ſit ne vel vita dignus? Intellexerunt nimirum hoc viri prudentes, & tot cruces chymicorum ceruicibus plenas erexerunt, totque compleuerunt carceres. Tollendæ ex hominum memoria ſunt peſtes, non augendæ.

Reſpon-

RESPONSIO.

Quam in te fers ſententiam, nos non eam reuocare, ſed noſtro ſuffragio approbare volumus. tu chymiæ ſtudio te delectari publico ſcripto es confeſſus, vt in tuis epiſtolarum rapſodijs videre eſt, quare antiquam eam addiſcas, benè faciet magiſtratus, ſi in te animaduertat. ſic ex hominum memoria duplici modò tollet peſtes & non augebit: quia non ſolùm de homine in cacochymiæ tyrocinio verſante ſupplicium ſumet, verum machinas & verborũ incendia quibus præclaras res vaſtare conaris è medio tollet. Certè omnia pręclara dicis & mæſonicis dicterijs ἑρμαλίοις tanto es ſtudio alienæ dignitati & laudibus derogandi omitto bombardas priſco ęuo vſitatas fuiſſe, id quod ex Vergilij verſiculis cõijcere licet, vbi canit:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas
Dum flãmas Iouis & ſonitus innitatur olympi
Quatuor hic inuectus equis & lãpada quaſſans
Per Graium populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumq; ſibi poſcebat honorem
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære & quadrupedum curſu ſimularet equorum.

Vſum bombarbarum à Chymico inuentum fuiſſe vna cum *Polydoro Vergilio* negamus. tu ſi probare id poteris, habebis quo me conuincas: quocirca donec probaueris inter cætera mendacia tua & hoc reponemus. Et cùm Chymici officium ignores, falſiſſimè infers; illum eſſe approbatorem eorum, quæ illi tribuis. Et quãuis veriſimilia eſſent omnia quæ adfers. tamen non eſt Chymiæ culpa, ſi qui fuerint, aut ſunt ingenio hebeti ac tardo, aut ſi quis ſecus ac ratio præſcribat, ea abutatur. non omnis terra frugifera eſt. Et ſi malorum & imperitorum hominum abuſus, à rerum bonarum communicatione deterrere nos deberet, omnia ferè illa quibus veſcimur, alimur, & quouis modò fruimur, è medio tollenda eſſent. concedo quidem quorundam imperitorum ac etiam interdum improborũ culpa, & impoſturis factum, vt peſſimè audiant Chymici abuſu nominis. ſed damnari propter abuſum res præſertim tanta, quantam hanc eſſe ſcio & defendo, nec iure poteſt nec debet.

LIBA-

LIBAVIUS.

In Chymicos impactæ sunt & iureconsultorum sententiæ. Chymicos imperatorum prætorumq; damnarunt decreta. Chymicorum libri Vulcano sunt consecrati. Vbiuis penè gẽtium malè excepti chymici perierunt, adeo vt medicus ille summus Arnoldus *post sæuum carcerem martem sæuiorem vix euitârit. Si chymicus fueris, continuò etiam magus audies. Est enim hoc scelus crimini illi affine. Et quia vtrumque exercuit nostro tempore, aut saltem præ se tulit Paracelsus. Et paracelsista simul & omniũ deliriorũ reus existimaberis titulo chymiæ Poeta, Platone censore, ex libera ciuitate est exigendus, nec defuit, qui suo sibi carmine iugulum penè fregit. Quid de chymicis idem statueret viuus, quorum malè perditorum exempla extant passim? Non abest à Chymico veneficij suspicio, non abest adulterandæ monetæ crimen. Quicquid vbique scelerum est, id omne congeritur intorqueturque in chymiæ professorem. Palàm est conuitium hominis perditi profligatiq;.*

RESPONSIO.

Non sumus tam communis sensus expertes, vt tuis calumnijs deterriti, ab optimorum librorum lectione, tanquam à Vulpiano im-

improbata, abhorreamus. Sed quę hęc temeraria inconſtantia & vacillatio eſt tui *Libaui?* oportet ex vetere prouerbio mendacem eſſe memoré. Epiſtola ſexta lib. primi dicis Chymicos olim fuiſſe philoſophorum præſtantiſſimos, qui maximam operam in abſtruſorum naturæ cognitione poſuerunt. & ſecunda epiſt. lib. ſecundi duplicem Chymiam conſtituis. vnam ingenuam veram ac ſyncerã vultu virginem caſtiſſimam præ ſe ferentem: alteram ſpuriam, & adulteram ſceleratiſſimarum artium feracem. hanc è medio tollere conaris, & ſi quid acerbius dictum ſit in eam prolatum eſſe vis. Aliam quam nunquam vidiſti omni laude dignam, amabilem, ac familiaré reddere. quomodo hic ſine vllo diſcrimine in Chymicos impactas eſſe iuriſperitorum ſententias mentiris. quo te tandem tranſuerſum rapit hæc in artes abſtruſas hactenus tibi incompertas opinio. Et quamuis Palinodia fatearis delictum, non eſt tamen excuſatio philoſopho digna, vt quod tu in genere calumniaris, alius diſtinguendo ac placando reſtituat, ac in pſeudochymicos deflectat, facilè apparet, quo animo id agas, & iudicium tibi

deeſſe:

deeſſe oſtendis, cum ſine diſcrimine bonos cum malis damnes. reuera honeſtiſſimam ac humano generi ſaluberrimam artem celebrare potius debebas, quam ſub nomine adulterinæ, tuis verbis contaminare. neque æquum eſt, honeſtis ſcientijs propter ſimilitudinem nominum iniuriam facere, aut propter abuſum tantum theſaurum contemnere. Dicis hic in chymicos intortas eſſe iuriſperitorum ſententias. Si perſuadere conabaris magiſtratus ſuis decretis, damnaſſe chymicos, tui muneris erat leges, plebiſcita, decreta, ſenatus cõſulta, ꝓducere quo melius fidem facere poſſes. At ſacræ literæ quod non prohibent, id concedunt. Et *Panormitanus, Baldus*, & alij iuriſperiti tibi aduerſantur. nam lege de theſauris & pignoribus chymiam inuentum philoſophi eſſe, artemque veram & non prohibitã aſſerunt. verùm ſophiſticatores (vt eorũ verbis vtar) ac falſarios, quales tu egregiè ſuis coloribus depingis, eſſe reprobandos. qui cùm omniũ ſuffragio, laqueo digni ſint, quo ſupplicio afficiendum putas eum, qui publico ſcripto artem damnatam docet? quemadmodum in tuo ſecundo epiſtolarũ libro videre

 eſt.

est,in quo certè scribentis laudem potius quã legentis vtilitatem secutus esse videris, adeo enim in eo es ineptus, confusus, tibique ipse contrarius,vt qui vel elementa tantum Chymica degustauerint, facilè tuam agnoscant ignorantiam philautiæ coniunctam. nam cũ friuola sint, ac prorsus inutilia, titulo curiositatis opinionem magnæ scientiæ ingenijs hominum excitare voluisti. Et si aliquid docere tibi erat animus, non debebas Errasti nugas alio ordine ac dicendi forma tãquam aliquid noui nobis obtrudere. sed eorum argumenta qui iamdudum Errasti imaginationes, ac futiles rationes confutarunt,resumere, atque illis cathegorice respondere. Putas aduersus Chymicos aliquid actum, sed ridicula censentur, ab ijs qui solidiori doctrina instructi, garrulitatem tuam agnoscunt.an ignoras credere se sapientem primum esse ad stultitiam gradum,proximum profiteri. Accusas impudenter omnes philosophos,tanquam si nemo fuerit,qui perfecta monumenta de ea arte reliquerit,& dum foris tantum eam aspicis,nec quid in sinu latet rimaris, multum in Gebero requiris, plurimum in Lullio, Arnoldo,&
reli-

reliquis alijs. qui omnes dedita opera,obſcuri eſſe voluerunt,& dilucidius exprimere illis religio fuit. At tu cùm nihil doceas boni, & quæ vulgaria ſunt,atque ab alijs non remiſſè, nec dubitanter aut occultè, ſed palàm fœliciter ac manifeſtè ſcripta, affectata ſtyli duritie, ita obſcuras vt nec tu te ipſum nec legentes quid velis intelligant. exiſtimas te profanum futurum ſi ſecreta reuelaueris,ſed nebulonem agere videris, dum falſa doces, & ex erroribus tuis dogmata conſtituis. vti in tua (vt reliqua omittam) cum mercurio frigido fermentatione ſtolide nugaris? qui nec quid fermentum ſit, nec quomodo fiat, vnquam ſis aſſecutus. & tamen in tua præfatione effricta fronte,audes ſpem facere lectoribus, te etiam auriferam artem docturum. ſed qua impudentia promittere audes, quod præſtare non potes: & ſuſcipere agendum quod nunquam benè agere didiceris. At quid dicam de vigeſima tertia epiſtola libri primi, in qua de Chymicis inſtrumentis blateras, cùm miſer Chymicus, vnica materia, vnico vaſe,vnico furno ſit cõtentus. vnde(obſecro) hunc fornacum numerum fabricaſti, vt alia

ſit liquatoria, fuſoria, coctoria, calcinatoria,, niſi à tuis pſeudochymicis nebulonibus es imaginatus. & quia tui carbonarij has chymicas operationes vocant, ideò eſſe exiſtimas. atque ſic ex eorum iudicio artem imaginariã, falſam ac ineptam conſtituis. & quantũ temporis, quantum laboris, in ijs cũ lepore quodam deſcribendis conſumpſeris, ſatis vident qui tuas nugas intelligunt. & dum nimio perſuaſionis doctrinæ faſtu turges, nihil ſcis.
Quomodo non erubeſcis, quod ſub falſo titulo (nimirum de Chymicis operationibus) tot hominum marſupia exciccaueris? nam qui libros tuos præclara epigraphi inſignitos emerunt, exiſtimantes in ijs aliquid tanta expectatione dignum cõtineri, poſt lectionem & pecuniæ iacturam, & temporis quod in ijs legendis conſumpſerunt, ſe feciſſe tardè deplorant. inter quos me ipſum libenter adnumerarem, niſi ſcriptorum tuorum veneno, in naufragium multorum ſerpente, me opponere decreuiſſem. & crede mihi, nunquam animum ad ſcribendum applicaſſem, niſi tuis ineptijs prouocatus fuiſſem. Non enim delector eiuſmodi controuerſijs quæ nihil ſolidi
in

in ſe continent. cùm hoc non ſit docere, ſed impedire aliorũ ſeria ſtudia. & dum tibi mirum in modum places, volui oſtẽdere quam longè à veritate chymica errares. Non exercetur neque docetur chymia rethoricis floribus, nec verborum copia, aut latini ſermonis elegantia, neque etiam ex ſcribendo Galeni, Ariſtotelis, Platonis, aut aliorum ſcriptorum paginas, & alia requirit quam oſtentationem, ac facetias frigidè ſatis productas. vt vano ſplendore ſimplicium oculos perſtringas, ac falſa opinione oppreſſum teneas Lectorem. Ad illius cognitionem puro animo opus eſt, non infecto prauis opinionibus, quę ſub ſpecie alicuius ſcientiæ, ignorantiæ radices profundius alunt. & inanè eſt tantos viros tua loquacitate ac verborum impetu, tã inique carpere, ſi artem ſuo more tractarunt, & verum figmento inuolutum, ac poëtarum fabulis repreſentarunt. ſed quia foris ſolùm (vt dixi) eos aſpexiſti, nec ad penetralia acceſſiſti, fit vt quicquid à Gebero & alijs producis, in vulgares operationes diſtorqueas. cùm tamẽ illi artem veram, in vulgaribus tamen operationibus demerſam, exactè tradiderint. & cùm ipſe

ipſe multis in locis fatearis, veteres illos obſcurè ſcripſiſſe, qui fit quod circa verborum ſonum hęreas, ac non cogites illis verbis aliud quid ſignificari quam verba ſonãt, ac tu imaginaris. legiſti apud philoſophos crebram fieri de operationibus chymicis mentionem, vt puta putrefactionis, diſtillationis, ſublimationis, calcinationis, & reliquarum omnium. ſed non conſideraſti vnica ſolum vniuerſali quadam operatione continua & non interrupta, reliquas omnes quotquot ſunt cõprehendere voluiſſe. nam vt dicit *Auicenna*, ſcias inquit, quod philoſophi poſuerunt multa talia & diuerſa nomina operationum, & laborum, quæ tamen in rei veritate non ſunt niſi vnũ & idẽ, & vnica operatione omnia ſimul & ſemel & eodem tempore & labore perpetrantur. Hoc ideò fecerunt vt eſſet ſcientia indignis obſcura: quare percipere manifeſtè potes, quantũ diſtes à veræ chymiæ cognitione. quam tantoperè lacerandam impudenter ſuſcepiſti, nec laudare poſſum illos qui in aliorum dictis reprehendendis ſunt acutiſſimi in proprijs aut magna veluti caligine obducti cæcutiunt. Certum enim eſt ſi in cortice hæreas,

nec

nec medullam ex philoſophorum penetralibus hauſeris, ſophiſtam agere cum imaginario tuo comite Treuirẽſi meritò dicere poteris. itane forſan debacchatus ſecure es, vt crederes defuturum hominem, qui tuos næuos ac verrucas agnoſceret, aut in publicum edere auderet. ſed concedamus te in tua epiſtolarum rapſodia aliquid docere? quid obſecro aliud producis, quam quod tui alchymiſtæ peruertendo veritatem, ex corrupto genuino authorum ſenſu, ſecũdum veriſimilem expoſitionem indies noui promunt, quo ſe ac alios excarnificando ad tabem vſque conficiunt. nũquid hoc eſt inſtar flabelli improborũ animos accẽdere, & perditis hominibus, quo facilius ſe cruci exponãt ianuam aperire? tamẽ ementito titulo chymicas operationes vocare audes, cũ nullã chymicã operationẽ ꝓferas, & quas recenſes chymici nõ agnoſcãt nec recipiant, ſed tanquã ſpurias, ex ſiniſtrè intellectis eorum libris natas (vt oſtendemus) reijciant atq; deteſtentur. Rectius horas collocaſſes in naturæ integritate ſpectãda, quam ludere verborũ cauillis, vbi apparere poteſt quid velit author. putas dedecori Chymicis eſſe

quod

quod eorum libri fuerint exusti. at ego contra maximo honori tribuendum censeo. Notum enim est omnibus, apud Ægyptios tantam auri fuisse copiam, vt iustum sępe Romanis bellum intulerint, ita vt Diocletianus Imperator fomitem contagij bellici nullum intellexerit alium, quam hunc auriferi riui fontem. hinc cùm Alexandriam occupasset, omnia chymica scripta magna hinc inde diligentia conquisita, Vulcano dicauit, ne opibus inde auctis Romanum Imperium bello turbarent. quo argumento euidenter testatus est, artem ipsam apud Ægyptios & certissimã & maximo in pretio extitisse. nec Romanus Imperator, vt horũ scripta deleret, octo menses obsidisset Alexandriam, nec diuinis præditi ingenijs viri tot labores & pericula obijssent, ni quid reconditæ ac remotioris diuinitatis illis artibus celari aduertissent. Si igitur philosophi veteres hanc scientiam perfectè tenuerunt, si potentissimi Reges eam exercuerunt, si Ægyptijs olim ita familiaris fuit, vt eius freti auxilio, Romanis semper repugnauerint? qua fronte tu cum Errasto tuo falsam ac fallacem esse nugaris? Ignorãtia sanè hor-

renda bellua ſemper veræ ſcientiæ repugnat,
& prauus animus pauca cognoſcens, omnia
perſuadet ſibi ſcire, & quæ ignorat arbitratur
ea aut non eſſe vera aut nullius momenti. Nõ
ignoramus pſeudochymicos multis in locis
malè perijſſe. vtinã in eadem eſſent naui, qui
falcem in alienã meſſem mittendo ac docendo,
occaſionem multis peccandi præbent.
Quod de Arnoldo dicis, non abhorret à cæteris
tuis mendacijs. nam certum eſt illum vixiſſe
anno ſalutis 1300. quo tempore Conſiliator
& Raymundus Lullius claruerunt, &
dum ab Inquiſitoribus fidei Conſiliatorem
Bononiæ vexari audiuiſſet, in Siciliã ad Regem
Fredericum profugiſſe, à quo ad Pontificem
ſanandum miſſus, in mari vitam cum
morte commutaſſe & Ianuæ ſepultum fuiſſe.
At chymicum magum omnino fatemur, cũ
tota eius ars ſit vera ac profũdior magia, hoc
eſt ſapientia. id quod Cicero non ignorauit,
qui chymiam veram phyſicam, ac veterũ magiam
eſſe pronunciauit. & quia plurimi ex ea
non intellecta, inanem quandam ſpeculationem
à vera ſapientia prorſus alienam ſibi fabricarunt,
hinc factum vt fumos & vmbras
dun-

duntaxat reportarint, quibus etſi naturæ lucem obtenebrarunt, tamen quia cupidos auditores nacti eſſent,& philoſophiæ & magiæ nomen ſunt ſortiti,talis ne fuerit *Paracelſus* æquo lectori iudicandum relinquo, nos mortuos iugulare nolumus, & facillimè patior te in mortuos,qui reſpondere nõ poſſunt,inuehi.cùm non illorum ſed tuam inſcitiam ac inſaniam teſteris. Si poëta *Platonis* cõſilio ex libera ciuitate eſt eijciendus, quid de Medicis tuæ farinæ hominibus dicemus,quos omnes conſtat,quondam,ſub Catone cenſorio,Romanos per ſexennium, & vrbe tota, & tota Italia pepuliſſe. nõ quod artem ſed artis profeſſores damnarent, eorum funeſta mendacia auerſati , quod videlicet plures occiderent quam ſanarent. & hanc ſalutarem curandi morbos artem, non dolorum depultricẽ ſed carnificinã eſſe crediderunt, ac ob id exoſam habuerunt. id chymico accidiſſe nec tu nec vllus mortalium vnquam, cum veritate oſtẽdere poterit. quare vel te inuito ſemen illud immortale quod reliquerũt, perenni multiplicatione durabit. quia dies opinionũ commenta delebit,& naturæ iudicia confirmabit.

LIBAVIUS.

Opes Deus sustentacula humanæ vitæ iussit esse. his adiuuatur religio ornaturq́. His belli pacisq́ tẽpore & salutem vtuntur humanam. Chymicus vt naturæ cui destruendæ vnicè incumbit, hostis est, ita & opum tabes barathrumq́ & funus vltimũ quicquid habet patrimonij quod contulerũt amici, quicquid fraudibus congessit, & expilandis diuitum loculis comportauit, id in fauillam vertit. Pœnitet nimirum ipsum natum esse aurum argentumq́. Ad perniicem eorum se studiosissimè accingit, & tanto bono miseram mortalium vitam fraudat. Legibus aliquando cautũ fuit, ne quis chrysurgorum monetã poculorũ gratia frãgat. Qua lege probibebitur ab integris & fractis chymicus? coruorum. Sunt tamẽ Chymici ipsi suorum suppliciorum non raro inuentores. Dum enim transmutãdo hydrargiro inhiant, se ipsos transformant citius in mendicos fauillamq́ & quisquilias hominum quam mercurium.

RESPONSIO.

Benè ac rectè declamitas, nouit chymicus optimè, non hac de causa Deum genus hominum auro, gemmisq; ditasse, vt ex eis Idolum sibi fingeret, sed vt in proximi subuẽtio-

nem

nem vteretur. hoc est vt quãtum quisque facultatis haberet, eatenus obstringeretur ad fratres iuuandos, quia Dominus hoc modo suppeditat nobis exercendæ charitatis materiam. debet igitur ex officio de fratrũ suorum necessitate esse sollicitus, ac cogitare ideo sibi esse cõmissa quę habet, vt alijs eroget, ac eorũ inopiæ succurrat. Nouit etiam Deum opt. max. secreta naturę nõ frustrà patefecisse hominibus, imò occæcare mentes eorum posse, qui arte hac abuti vellẽt, nec ad proximi commodum, sed auaritiam conuertere. Quod verò naturæ destruendæ vnicè incumbat, iam anteà falsum esse probauimus: & quamuis hoc esset verum, nõ ideò opum tabes sequeretur. Disertè profectò saltas mi Libaui, qui lasciuia verborum, ac sententiarum lenitate, licentiam dicendi vsurpes: & quod rei veritate efficere non potes, fuco orationis persuadere conaris. Et dum chymicus illis vitijs nõ est obnoxius, quibus tuos carbonarios verè ac egregiè ornas, quæ bona, vtiliaque possidet, aut præstare alijs potest, ea nec inuidet cuiquam, nec premit, nec in ocio sibi alijsq; inutili & damnoso versatur, neque pecunijs

acer-

aceruandis inhiat, ſed hominem ſe eſſe ad imaginem Dei conditoris factum, & hominibus natum probè nouit. itaque à fraudibus ſemper alienus neque ex propinqui rebus ſecundis dolore afficitur. imò charitatem exercet quæ in eo ſita eſt, vt de quam plurimis quam optimè mereatur, omnem operam in horum adiumentum collocans. Et quomodo pœniteret eum aurum & argentum natum, cùm in poteſtate habeat illud producendi. quod verò ad perniciem eorum ſe accingat, falſum eſſe antea oſtenſum eſt. Quid opus eſt eloquentia, aut verbis phaleratis, vt mendacium hominum mentibus inſinues? veritatis ſermo ſimplex exiſtit, non quærens fucum aut figmenta. non enim aurum & argentum contrectat Chymicus. Si verò legibus aliquando cautum fuit, ne quis chryſurgorum monetam poculorum gratia, frangat. quid (obſecro) hoc ad Chymicum? cùm conſtet aurum & argentum illi non eſſe materiã circa quam laborat. quod ſi id ignoras, ipſa nominis Etymologia te docere poterat. dicitur enim chymicus, quia circa humorem, & non, vt dicis, metallorum, aut mineralium

metamorphosim versetur, ὡς χαμαικὴν τινα τέχνην exerceret, & in ijs maximè quæ χαμαὶ & sub terra sunt, rimandis occuparetur, ac in metallicis tabernis ac mineralibus officinis resideret. vnde videre potes quæ mendacia in publicum emiseris, cùm dicis qui rerum metallicarum sibi comparauit notitiam certam, eum non procul abesse à veræ chymiæ artificijs, quæ nostris temporibus magno coluntur studio. nam qui metallica tractat (de vulgaribus loquor) tantum abest à chymici studio, quantum cœlum terra distat. Et quamuis lapidem philosophicum, aut eius principia siue elementa, auri & argēti ac similibus vocibus quandoque Philosophi nuncupauerint, non abs re factum fuisse iudicandum est. Nec enim his nominibus vsi fuêre tantum, vt artem celarent, & imperitos secluderent, sed etiam vt doctiores allicerent, & inusitatarum vocum & rerum proprietatibus eandem docerent, ac certè declararent. neque id curarunt, vt legentes omnia prorsus artis arcana assequerentur, satis esse rati si sobriè quædam attigissent, quæ deinceps tanquam incitamenta essent indagandæ veri-

tatis,

tatis. vt hac via fœliciora hominum ingenia, vexationibus ſeu illecebris quibuſdam ad perſcrutanda ſingula pollicerent: contrà verò craſſos homines, qui talia ferre nequeunt enigmata, ſub nuda phraſi poſita, procul abigerent, veluti indignos. nouerũt enim docti operationem ſecundum literarum intellectũ eſſe diuitiarum diſſipationem. nam etſi philoſophi metallorũ faciant mẽtionem, tamẽ metalla eorum non eſſe metalla vulgi, facilè intelligere potuiſſes, ſi cõſideraſſes philoſophos dicere omnia metalla, communicare in vna materia, quæ eſt argentum viuum cũ ſuo ſulphure, & ſolum differre per maiorem vel minorem decoctionem, quę fit per ſulphuris ſui maturationem mediante decoctione. nam quantò decoctio perfectior eſt, tanto metallum minus imperfectionis habet. id quod de vulgaribus metallis eſt falſiſſimum. quæ propriam habent & mineram & generationis materiam. At Philoſophorum metalla non differunt niſi ſecundum maioris vel minoris decoctionis differentiam: nam vt dicit Philoſophus, omnia corpora vnum habent ſignificare per totum ratione imperfectionis eorũ.

nam & turba inquit corſufla eſt compoſitio omnium corporum, & inuidi eam omnibus nominibus nuncupati ſunt. nummis, æris, ſtanni, ferri, vel plumbi, quouſque ab illo remouetur color & fiat elixir. Et vt rem clarius intelligas, lege Arnoldum qui dicet tibi quod argentum viuum, aſot, luna plena, lapis noſter, æs noſtrum, aqua noſtra, mars, argẽtum, ſtannum, albedo, Iuppiter, minium album, hypoſtaſis alba, album plumbũ vel rubeum, idem ſignificant, ſecundum diuerſa tempora & gradus operationis. nam prima coagulatio Mercurij eſt plumbum, deinde ſtannum, poſtea Venus, Mars, Mercurius, Luna, & tãdem Sol. aperi igitur oculos mi Libaui, & agnoſce tuas nugas, quas in perniciem multorum edidiſti: repete memoria quod philoſophi ſcribant lapidem eorum eſſe vnam rem, cõtinentem quatuor elementa, & ſeptem planetas: duos quidem eſſe meantes, & quinque non meantes. nam ſicut planetæ & eorum imagines in cœlo, ſic in lapide ſuis tẽporibus operãtur, quilibet enim planeta ſuo loco ſuam facit imaginem, vſque ad complementum operis, ſol tamen & luna principium tenent & finem.

nem. Sed quid opus eſt lucernam adhibere in meridie. Illud reuera tibi cõcedimus aliquos Chymicos ſuorum ſuppliciorum fuiſſe authores

Nam quem non prohibet rerum prudentia fari
Quæ ſibi continuo fuerint cùm dicta nocebunt,
Tutus ab inſidijs qua ſe virtute tueri
Poſſet, qui præ ſe ferret ſe condere paruo,
Diuitias loculo ingentes quibus vndique regum
Et regna: aſſurgunt & opes opulentaq; cedunt
Omnia.

Cõcludamus itaque in errore verſari eos qui Chymiam ideo contemnunt, quia à medicis uſibus exiſtimata hactenus fuerit tanquam aliena, & faciendi aurum ſolum inuentum. In reliquis quæ addis ſyncerum vas incruſtare conaris. Et quia magis defendi ſolent ad artis oratoriæ vires oſtentandas, quam quod vel vera ſint aut veris ſimilia digna reſponſione non exiſtimamus.

LIBAVIVS.

Grati ſunt principibus, dices. Grati ſunt, inquam ego, ſed dum ſpe aurea iucundè demulcentur. Seruãtur item & compellantur blandè tanquam multi

precij homines, sed aut ad auri maria, aut suppliciorum tormenta. Itaque vbi in principum venerunt manus, aut offa eos explere aurea, nullo fine coguntur, aut vltima quæque expectare. Non sunt amplius sui.

RESPONSIO.

Cur nunc miraris Chymicos Principibus ac Regibus esse gratos, cũ ipse in epistola tua dedicatoria fatearis in regum & principũ potestate olim fuisse artes & scientia celebres, & etiam nunc amari ab his penes quos est principatus politicus. causam addis, quia spe aurea iucundè demulcentur. ita ne in principes etiam inueheris vt intenso auaritiæ crimine delirare facias, at ego longè aliã existimo causam, nimirum quod plus commodi percipiunt ex Chymicorum silentio, quam ex Galenicorum garrulitate. verum sit ita vti præsupponis. obsecro quid optabilius in hoc mundo quam vt Deo placeas, deinde sanitate fruaris ac diuitijs abundes. quæ duo prestare posse Chymicum si probare vellem, esset lumen soli inferre. quod si tu ista rides quia non ca-

pis, nos contra tuam miseram ignorantiam deploramus, quod in tanta optimarum frugum copia siliquis porcorum vesci malis, quę nec famem eximunt, neque vires animi alunt, sed exhauriūt funditus, ac corrumpunt. frugibus enim inuētis, glandes deuorare turpè est. turpius iudicij libertatē seruitutē amisisse, & pro suaui melissa crassissimas lactucas & vrticas mortuas quærere. verùm ea est humanij ingenij conditio, vt sæpenumero in artium cognitione ita fallatur, vt quod falsum prorsus existimandum est, illud interdum verum esse contendat, quo fit vt multi docti, quamuis sæpissimè de veritate optimè sentiant, sæpius ipsos ita lapsos esse videas, vt tanquam cæci quæ alijs conspicuè apparent, videre nequeant. nos igitur meritò obseruari debere Chymicos, & tanquā homines multi precij, amicè compelli, & tractari dicimus. nam laudantur Reges veteres, & Imperatores complures, in his Mitridates, Attalus, Iuba, Ptolomeus, item Augustus, Tiberius, Adrianus, Aurelius, Iustinus, & reliqui, quod non modò summam medicinæ peritiam essent assecuti, verùm peritos artis in suas tutelas,

benignè receperint. vt videre eſt in Alexandro Macedone qui ſecum nō vnum aut paucos quoſdam, ſed quaſi cohortes doctiſſimorum hominum duxit, quos ſemper pro dignitate & ſumma liberalitate ornauit. ipſi quoq; magnates naturę myſteria magna mortalium vtilitate ſtrenuè quæſiuerũt. quos decet rerũ magnarum vulgo non cognitarum cognitio, vt quemadmodum dignitate & opibus, ſic etiam tali ſcientia præclarè inſigniterq; antecellant. ſed noſtrum hoc ſęculum ad corpoream philoſophiam defecit, & mortuas rerum vmbras ſectatur, in quibus nec regibus quicquam dignum eſt nec alijs vtile.

LIBAVIVS.

Dicunt ſe medicinæ propagandæ & ſanitatis procurandæ nomine extitiſſe. Sed cuius medicinæ? Cuius nempe quæ veneficijs hominum minuit numerũ, quaſi nō ſat venenorum produxiſſet natura, ni chymicus ſua profeſsione illam augeret labem. Carnificinæ faciendæ, non medicinæ, & omnibus ætatibus mundi honeſtiſsimo excepta fuit ornataq; hominum ſapiētiſsimorum præconio natos arbitreris. Si enim huic inſeruirent ſua certè omnia ad eius amuſsim

in-

instituerent. At Domini, non ministri diuinæ illius artis, quam etiam solis sibi arrogare dementer non erubescunt, esse quærunt. Tam ergo procul absunt à medicinæ honore, quā quod longissimè. Tātum illis est cum hac commercij quātum cum amaracino sui. Specta operas eorum, quibus nefariè non restituerūt homines, sed necarunt; non adiuuerunt sanitatem, sed violarunt. Vtuntur stibio furiosissimo & hydrargyro, cerebrum & omnia membra lacerante, eaq́; præbent ingerenda in ventriculum, quæ certa venena esse constat. Quidam ex tartaro nitroque senis ignibus aquam eliciunt, quam aqua regis mistam ægrotis magna quantitate propinant. Porrigunt cinabarim tam natiuam quam factitiam ex hydrargyro & sulphure confectam; chalcanthi aquā haurire præcipiunt, omnia tanto cum cruciatu sæpè coniuncta, vt quidam conuulsi interierint: aliqui laceratis erosisq́; faucibus ventriculoque cum incredibili vlulatu ad inferos discesserint; quibusdam cordis vena disrupta sanguinem vitalem cum anima profuderit; aliquibus puncturæ totius corporis exitiales extiterint, & omnino tot sunt exempla miserrimè à chymicis afflictorum, vt non immerito omnibus bonis ad mentionem eorum cutis obrigescat, & veluti tertiana concutiatur febri. Erastus certè

non dubitauit ista medicamenta Diabolica nominare, vt quorum vim ne solertissimo quidem vsu possis anteuertere. Augent crimen istud & flagitium satis atrox mendacio atrociore. Negant ista sua corrosiua esse, quia ex salibus fiant, & his succis qui à veteribus & recentibus corpori cum cibo immittuntur. Sed quis nō deprehendat vesaniam? Si nihil ab arte illa & ignibus acquirerent acerbitatis & acrimoniæ venenatæ, ferendi forent. At cum sæuissimis exugantur parenturque ignibus, adeo vt nulli ferè metallo parcant, ligna corrodant, vitra comminuant, cutem exulcerent & in vesicas attollant, non raro etiam carnes corrodant, quis non agnoscat ex bonis & tutis rebus factas esse aquas nocentissimas? Ipsi suis diffidunt rebus adeo, vt vix seruare eos succos præterquam in vitris densissimis soleant, & non nisi minimam quantitatem porrigere ausint, eamque cum diluto copioso, quæ res non nisi in certissimis venenis à medicis solet obseruari. Quot tu censes hominum millia sanata olim fuisse sine Chymicis, & adhuc hodiè in vniuerso mundo conualescere?

Responsio.

Quoties in mentem venit ac attentius meditor, ad quorū manus nunc peruenerit medici-

dicina, omnium ſanè artium maximè neceſſaria & nobiliſſima, fateri quodammodo cogerer, non amplius diuinam ac venerabilem: ſed nullius precij.fraudum omnium plenam, ad infimos tantum & abiectos homines auaritiæ & ambitioni tumidos perueniſſe, niſi diuina ſcriptura, antiquis temporibus medicinam vtpotè Dei opt. max. donum, maximo in precio habitam fuiſſe doceret. nam ſi rem vti decet expendamus, ac paulò antè Hippocratis tempora ordiamur, qui à Democrito edoctus, etſi primus declarauit artis ſuę principia, tamen artem medicam ante ſe inuentam fuiſſe ipſe lib. de veteri medicina teſtatur. celebris memoria eſt Æſculapij, Podalirij, & Machaonis apud antiquos, quod diuina ac admiranda medicæ artis poteſtate infirmitatibus humanis conſuluerint, & morbos profligauerint. quamuis incertum ſit, qua medendi methodo, & lege vſi fuerint. veriſimilè autem eſt, illos à Iudæis ſcientia claris, vel Ægyptijs, quicquid præclari habuerunt, veluti per manus accepiſſe. Et poſt mortem eorum, vt Plinius annotauit, medicinæ profeſſores vel paucos vel nullos fuiſſe.
ideo-

ideoque in denſa ignorantiæ caligine longo tempore permanſiſſe. quam negligentia & inſcitia mutilam & laceram Hippocrates, ab Æſculapio vt dicunt, oriundus, omnium primum in ordinem redegit, reſtaurauitque, & vniuerſalia præcepta ſua rationali methodo condidit. nobiſque commentaria reliquit, in quibus artis ſuæ principia prædictionũ & curationum cauſas ac modos aperuit, obſeruationeſque medicas ſumma fide & diligentia poſteritati reliquit. tempore Hippocratis vixiſſe alios medicos, qui diſſidentibus hypotheſibus curationes deducerent, Gnidiæ ſententiæ argumento ſunt. Hanc artem quodãmodo reſtitutam quomodo ſenſim obſcurauerint ac inquinauerint poſteriores, qui ſe Hipocraticos profitebantur, quum tamẽ id nequaquam præter quam nomine eſſent, videre licet, ex ijs, qui eum ſunt ſecuti. quales fuerunt Diocles, Caryſtius, Praxagoras, Chryſippus, & Eraſiſtratus, qui antiſtites rationalis ſectæ exſtiterunt. Sub Philono Coo eodẽ ferè tempore factio Empyricorum eſt orta, cuius fautores fuerunt Serapio Alexãdrinus, Appolonius, & alij plures, qui ſanè diſſidebãt

à ra-

à rationalibus. quod illi quidē ratione ſimul & experientia vterentur,ad inueſtiganda pręſidia morbis ipſis congruentia, hi autem ſolo vſu contenti eſſent eorum quæ aliquoties obſeruauerant. Ab vtriſque receſſerunt ex ęquo Methodici nuncupati, cauſarum abditarum indaginem reſpuentes, nec tribuentes quicquā experimentis particularibus, quibus nitebantur Empyrici. Reducebant autem hi omnes particulares affectus ad generales duos, nempè ad adſtrictum & laxū,& vniuerſas curationes ad adſtrictionem eorum quę laxa eſſent, & relaxationem illorum quæ adſtricta. Auſpicia huic ſectæ dedit Themiſon Laodiceus, abſoluit autem Theſſalus, qui pollicebatur ſe docturum artem ſex menſium ſpacio. Poſt quos tandem Galenus ſequutus, quaſi per tranſennam Hippocratis arcana videns,ac plurimum admiratus, ad ea quæ ille cognouit,nūquam eſt ingreſſus. Medicinam tamen relictis rebus, in linguas permutare fecit. quam in tot ſectas diuulſam, ſuæ integritati,aut nitori reſtituere conatus, explodens omnia alia dogmata, hoc vaſtum pelagus in ordinem quendam reuocare voluit. & poſtquam

quam depræhendiſſet præceptores ſuos perſuaſionibus & probabilibus cōiecturis artem tradidiſſe. non contentus vaga & mobili hypotheſium congerie, ex quibus opiniones & fallaces operationes, magis quam ſcientiæ & efficaces actionum proceſſus reſurgunt, indefeſſo ſtudio curis & peregrinationibus, certas demonſtrationum leges diu quæſiuit. ac geometricorum more principia, & imaginaria axiomata artis ſuæ conſtituit. omnia oriri ex quatuor elementis, miſceri elementa certis ponderibus & mēſuris, ſymmetriam mixtionis ſanitatis productricem ametriā morborū & mortis. Rerum omniū actiones & virtutes ex elementis prodire. formam ſpecificam vel proprietatem eſſentialem vniuſcuiuſq; rei ex certo elementorū congreſſu deriuari. contraria contrarijs curari, calidū frigido, humidum ſicco. Secundas qualitates ex primis mirabiliter deduxit. quatuor humores elementorum qualitatibus primis & ſecundis inſignitos adiunxit. ex quibus ſubtilitate cōpendioſa, morborum omnium cauſas, & curationes deduxit. qua artis facilitate allecti quam plurimi, vt ſunt humana ingenia ad ociū plus iuſto prona,

na, neglecta antiquorum vera medicina, vnũ Galenum tanquã medicinæ principem, sunt secuti. Successerunt Galeno Arabes, Auicẽna, Rasis, Albumasar, Auerroes, medicorũ Arabiæ factionis principes. qui obseruationes & remedia quædã, Græcis incognita, protulerunt, ac exoticis medicamentis artẽ & locupletarunt, & suis lucubrationibus auxerũt ac illustrarunt. sed quia interpretum culpa tot erroribus scatebant, factum est, vt dialecticis Arabum argutijs polluta, fidẽ apud mortales perdiderint, ac Græcorũ medicina denuò in vsum sit reuocata. Nostra ætate prudentiores altiorisque ingenij homines, postquã morborũ necessitatibus vndiq; mortales miserè affligi viderẽt, vulgataq; remedia in curatione morborum difficilium non satisfacere, sed irrita & vana depræhenderent, eo quod ad interiores & remotas partes sæpè grauissimè laborantes, nullam Medicinam vsitatam, peruenire ipso effectu didicissent, medicosque tales morbos non tollere, sed vocare incurabiles: profundiore mentis contemplatione aggredi ceperunt abstrusa naturæ penetralia. ac proprius accedentes antiquam

ac

ad diuiniorem artis originem postliminio reuocarunt ac receperunt. inter quos nostro hoc sæculo Paracelsus perpetua memoria dignus, extitit. qui inexpectata artis innouatione medicorum hoc vulgus pœnitentia, tœdio, & cõfusione repleuit. non enim nouum est propius admota naturę luce accendi ignorantiũ rabiem, & tum præsertim prosilire ad resistendum, vbi progressum veræ doctrinæ vident. Nam is amore iuuandi patriam, id vnum studuit, vt philosophia vniuersa, & medendi ars, ab omni vitio, errore, macula, purgata & emendata suo honori restitueretur. ideò certa methodo dissipatas rerum familias conspirare fecit, obscuris lucem, dubijs fidẽ, vetustis nouitatẽ dedit. & pro fugacibus rerũ vmbris, res certas, pro confusis ordinem, pro nugis seria luculenter proposuit. medicinãq; sic immutauit, vt non τέχνην στοχαστικήν sed ἐπιστήμην vbique clarè affirmauerit. quia non dubia, sed à natura confirmata aduersus omnes morbos medicamenta (modò diuinũ non adsit) contineret. neque artis esse culpã, si qui ægri in morbis difficilioribus sanitatem non recuperent amissam, sed medici potius

artem ignorantis. quamobrē, ne illorū, quos vituperabat ſimilis haberetur. fundamenta primum naturæ immobilia collocans, tria omnium rerum principia conſtituit, nimirum ſalem, ſulphur, & mercurium. in quocunque vero corpore hæc tria per vnionem conueniunt, verè ſanum iudicari poſſe: in quo verò non, morbum & morbi radicem ſubintraſſe. Elementorumque naturas & cōditiones longè diuerſo modo expoſuit, ac rerum omniū matrices eſſe dixit. deinde repudiata humorum familia mineralia eorum loco introduxit, corporaque omnia ex mineralibus conſtare authoritate mundanæ anatomiæ demōſtrauit. nam hominem docet, eſſe minorem mundum, nec ex ipſo vnam naturam eius cognoſci, ſed ex maiori mundo, vnde compoſitus eſt. vt enim totus homo reſpondet totì mundo, ita quoq; ſingulas partes ſingulis partibus cohærere efficaciſſimè demonſtrat, ac euidentiſſimè oculis ſubijcit. itaque morbos omnes trium principiorum exaltatione fieri, ac recōciliatione mederi. ſic ſimilia ſimilibus magna facilitate curari docet. Inter cætera veram illam medicinam, magna mortalium vti-

litate, diuersis in locis sparsam exactissimè descripsit. quæ hodie nostros medicos præcipuè in rabiem agit. dum non assequuntur, quomodo eiusmodi medicina inueniri possit, quæ sit adeo vniuersalis, vt omnibus mederi morbis possit. tanquam si vnam & eandem soleam omnibus pedibus applicare vellemus: nec considerant aliud esse medicinam respectu morbi, atque solea respectu pedis, cũ hæc sit mensura, illa verò non mensura, sed in corporis substantiam transeat, morbum arceat, & sua efficacia mitiget ac tollat. Et quamuis medicina esset mali mensura, nihil ideò absurdi sequeretur. licet enim specie vnã medicinã cunctis morbis adhibere, vt specie vna solea omnibus pedibus conuenit, maior longioribus, minor breuioribus. sic medicinæ quantitas respondebit morbo, vt soleæ pedi. & cùm morbum duntaxat triplicem ex causa triplici constituat, in curandis morbis, vnam quandam existere medicinam generalem, ex tribus illis cõpositam non est absurdum. præterea cùm duo sint quæ corpus nostrum fulciunt, vitamque cõseruent ac tueantur, calor nimirũ natiuus & humor radicalis innati caloris

loris ſubſtãtia, quorũ alter alterius adminiculo opus habet, mutuaſq́; operas expoſcũt, humidum pabulũ eſt fomentumq́; caloris, calor illius beneficio ac munere ſubſiſtit. quæ duo vndiq; ſpiritu ꝑfuſa ac connexa in omne corpus dimanant ac diffunduntur. His cur vnica medicina ꝓſpici nõ poterit? ac curari vt quã diutiſſimè cõſeruentur? horum enim pręſidio corpus viuit. deſtitutũ verò collabitur, omniſq́ue vis ac facultas naturalis vergit in interitũ. quia morbus in homine nihil aliud eſt quã affectio, qua ſpiritus vitæ fũctio impeditur. medicina igitur quæ illũ corroborabit, quemadmodũ ſol omnibus ſtellis, totiq́; mundo lumẽ prebet, eaq́; ad vitam & operationes excitant, ita illa quoq; exaltata & clarificata cũctis alijs pręualebit, ipſiſq́; animã & vitam ſuppeditabit, etiamſi imperita plebs ſit eiuſmodi omniũ ignara. nã iuuari vnamquanq; rem ſuo ſimili indubitatũ axioma eſt. & cùm calor naturalis ſpiritu ſit vndique perfuſus, ita vt ſeorſim niſi cogitatione ſeparari poſſit, ſitq́ue materia ſubtiliſſima, tenuiſſima, ac temperatiſſima, aptum medicamentum, quod vel illum augere, vel quoquo pacto illi prodeſſe poteſt, ſi

tenuissimarũ partium fuerit, cur non tanquã conueniens pabulũ, nutritioni illius aptum existet ad eius cõseruationem? vt quam diutissimè syncerus perduret. Et quamuis non ignoremus, calorem naturalem originem ducere à cœlesti calore, ideoque fieri non posse videatur, vt quicquam arte cõparetur, quod omnino eius speciem referat, tamẽ iuuari suo simili, præter quam quod experientia quotidiana demonstrat, etiam ratio in promptu est. nam cùm spiritus, vt dixi, materia tenuissima sit, & tẽperatissima, necesse est quod vel illum augere, vel quoquo pacto illi prodesse potest, tenuissimarum sit partium, qualis est nostra medicina vniuersalis, quæ omnibus morbis, tum, ratione similitudinis quam cum calore insito habet, tum quia est incorruptibilis, & omnibus morbis contraria, præstare potest. nam quemadmodum languido igni, ignis fortior additus, hunc non solum excitat, sed maximè etiam roborat, & accressit: sic huiusmodi medicina, proprium calorem corporis natiuum non solum excitat, sed etiam ipsum fluentem & fixum in toto corpore auget. cuius radij in singularum particularum fibris

omnia

omnia inutilia ac ſuperflua fugant, & partim per inſenſilem tranſpirationem, partim qua naturæ commodius eſſe videtur, expellunt. fitque ſanguis purior & totũ corpus pulchrius expulſis heterogeneis,& ſanguine renouato. præterea notum eſt omnibus, curationem nunquam fieri niſi natura ſuperãte morbum, cur nõ neglectis cæteris,id ſeruabimus à quo agendi facultas procedit? nam cùm neceſſe ſit vt medicamẽta,quæ aduerſus morbos, eorumque cauſas exhibentur,ab ipſo calore naturali recipiantur,attrahãtur,& vires illæ quæ prius inerant potentia ad actum reducantur, ſi calor fuerit imbecillis, certum eſt nullum medicamenti genus, vt proſit exhiberi poſſe, niſi hoc noſtrum, quo corroboratus calor aduerſus rem noxiam inſurgens, eam euincat atque expellat. deſinas igitur mi *Libaui*, de medicina gloriari, cùm ipſam veram non videris vnquam neque noueris, ſed carceres & tenebras medicinæ tantum,quapropter optimo iure cum *Paracelſo* laruatam infideliũ medicinam dicere poſſumus. I nunc & illam nobis ſalutarem eſſe contende,quam ad cõtemplationem quidem iucundiſſimam eſſe non

inficior, verũ nõ ita vtilem, nedum necessariã vt vulgo habetur. nam qui eã cõtemnunt populi, præter cæteros & firmiore sunt valetudine, & vitã longiorẽ viuũt. Et quot putas tu olim fuisse gẽtes, & adhuc esse absq; medicis degentes, qui vltra decrepitã ętatẽ absq; dolore viuant, vides apud Xenophontẽ Persarum victum, nõ indigere medicis, cùm in eiusmodi vitã raro subeant morbi aut aduersa valetudo, quæ si aliquãdo obuenerit inedia, curãt. quod si dixeris nullã esse gẽtem tam incultã quę remedijs suis ac medicina quadam non vtatur, respõdebo non esse illam quę vestris libris cõtinetur. Et quot existimas esse, qui spontè cõualescentes à vestris medicinis infirmiores facti, mori potius eligerẽt quã pharmacis vestris vti. quare non dubita quin chymicus ad verã producendam medicinã sit natus. quod si instes absq; chymica arte multos & conualuisse & cõualescere, respondebo contra, plures occubuisse, quibus medicorum opera nihil profuit. ac eualescere (vt inquit ille) fati ope non medici. Sed regeres, quis medicinam vniuersalem veram esse vnquam comprobauit, dum nemo hactenus inuentus sit, qui omnes morbos

bos curauerit? profectò potentia artis vel lapidis, si nunquam ad actum vniuersalem deducta fuit, neque in vllo artifice conspecta quomodo fidem faciet vlli de veritate? Scio multos esse artis chymiæ veritatem negantes, sed plurimos è contra nouimus, qui eam non inficiantur. Et si tibi eiusmodi artifices sunt ignoti, aut existimas paucos esse, imò (vt tuæ opinioni satisfaciã) nullos qui, optatum finẽ assequantur, nõ propterea artẽ negare debes, quã nisi vniuersalẽ, certam, & rebus consentientem animaduertissent, viri illi sapientissimi nunquã theoremata vniuersalia eius artis post se reliquissent, & posteris tanquã vera, magno consensu tradidissent. neque enim sequitur artem esse falsam, etiam si pauci aut ferè nulli, (vt dicis) optatum consequantur finem. nam effectus non est finis artis sed artificis, qui arte vera existente, errare potest, & per cõsequens sua expectatione priuari. nã præter alia detrimẽta etiã hoc duro sęculo accidit, vt postquã indocti, quibus vulgus diu credidit, sępius errando existimationẽ tandẽ amittere incipiũt, idem vulgus etiã dictionibus deinde imputet, hosq; cum indoctis planè eodẽ loco habeat,

atque ita ars ipſa in contemptũ veniat, quemadmodum Dei verbum malè audire ſolet ob vitam docentium peruerſam atque impiam. Ipſe fateris te inficias ire minimè poſſe, quod Chymicus ad medicinam plurimum emolumenti conferat, quid diceres ſi vel ſcintillam veræ artis chymicę vnquam fuiſſes aſſecutus? cum vulgaria iſta quæ tui parant carbonarij, tãto honore celebres, vt nobiliſſima dicas eſſe artificia & virtute præſtantiſſima, vtpotè quæ cœleſtem ſortiantur ſubſtantiam, ac cœlum virtute emulentur. cùm chymicus vnum tantum artificium agnoſcat, reliqua reſpuat: quia vnico hoc medicamento plura præſtare poteſt, quam omnes tui ſpagirici fumiuenduli, qui venenis, ſtibio hydrargiro cinabrio, turpeto fictitio, ac eiuſmodi infinitis quiſquilijs morbos pellere tentant. Sed quid illa ad verum Chymicum? nihil enim illi cum ſale, vitriolo, hydrargiro, metallis, aut mineralibus eſt commune. nam illa ne tangit quidem, omitto vt contractet: & quamuis parabolicè eorum nominibus frequenter vtatur, nõ propterea illum talibus vti cenſendum eſt. veluti triobolares tui, ex ſiniſtrè expoſitis philoſo-

pho-

phorum libris ac enigmatibus, totũ ferè terrarum orbem ſuis pharmacis infecerunt. hinc ſtibij confectiones vanæ, turpeta, mineralia, olea diuerſorum generum, cinabrij præparationes, ſalium, ſulphurum, & mercuriorũ ex metallis ac mineralibus extractiones prodierunt. quæ quanto mortalium detrimẽto fuerint inuenta, ſi enarrare vellem, nullus dicendi eſſet finis. quare, quos tu chymicos vocas, ego nugaces ac pernicioſos operarios appello. vſque adcò vt omnia quæ addis vt chymicum laceres, nihil aliud ſint, quam contemnentis dicteria & holerum additamenta. Sed detractis conuitijs remotaque inani loquacitate, veniamus ad medicos artis magiſtros. quid eſt notius multorum ſtultitia, qui plures interficiunt, quam ſanent: & miſerorum periculo & damno, ſuæ artis experimenta conficiunt. nunquid illorum abſurditas atque abuſio, veſtram artem condemnat? cùm hi artem profiteantur ſæpius, qui ad ſubigendas glebas, quam medendi exercitio ſunt aptiores. Quæ ſpes obſecro in medicis iſtis logidedalis, habitu quidem at non vſu perfectis repoſita eſt? ſi experientia eſt fallax, & iudicium diffi

difficilè. quid certi possunt promittere *Galenistæ?* cùm sciamus nullam artem esse incōstantiorem medicina, vtpotè quā *Galenus* cōiecturatiuam faciat, verū ne hoc medicis vitio verteretur, certam recentiores regulam ac operationum principia, tanquam quatuor elemēta excogitarunt, nimirum sanguinem mittendi, cacandi, vrinandi, & sudandi, quibus ferè omnes laborantes adoriuntur. nā primo die aluum soluunt, secundò sanguinem mittunt: tertiò, lenitiuum bolum exhibent: quarto inijciunt enema, quinto eradicatiue vti dicunt, purgant, sexto seuientibus symptomatibus rursus secant venam, & hac ratione si quis nō moriatur, morbum incurabilem dicunt. Et sic ægrotantis vires vitamque vna cū morbo tollunt: vt interim omittam corroborantia nulla ratione fulcita, intempestiuas quas vocāt dietas. quibus ad tabem vsque miseros sudando excarnificant. prætereo herbarum decoctiones, quas apozemata vocant, adeò absurdas & corruptioni, obnoxias, vt, quā arcere deberēt corruptionem introducant. vsqueadeo vt in ea arte versari videantur, in qua tutissimè peccare liceat, absque vllo legum metu, nec magis

gis de hominum cæde quam hœdorum aut pullorũ ſint ſoliciti, vt facilè quiuis, iudicare queat, quod hominum millia ſanata fuere, atque indies conſaneſcant abſque Chymicis. Nemo profectò ita pertinacis ingenij eſſe debet, vt à conſueta & praua medendi conſuetudine deſiſtendum eſſe neget. Magna eſt ſanè conſuetudinis & vetuſtatis in omnibus ferè artibus ac ſcientijs tyrannis, quæ liberalibus ingenijs nimis impotenter imperat. Sed ſi Theologi amplectuntur, ſi quid ad illorum profeſſionem inſtaurandam conducit, id ipſum ſi iuriſconſulti non aſpernantur, qui fit quod ſoli medici pertinaciter reclament, ſi quid extra conſuetum curandi modum proferatur, quod tamen in ægrorum cõmodum cedat? niſi quod ſibi ipſis inuideant. & ſi nimia habendi cupiditas & ambitio animos multorum non vreret, atque hi qui medicinam exercent, eſſent natura ingenui, candidi, & veritatis amatores, nec non & ad bonas artes apti, non tot profectò ac tanti in medendo quotidie abuſus emergerent. Reſipiſce igitur mi Libaui, ac errores & peccata corrige, neque in illis obſtinatè ac pertinaciter

per-

perseuera, vt falsam velis tueri doctrinam, ac ignarum vulgus ficta sermonis grauitate decipere. non enim nostrum hoc studium esse debet aut scopus, sed vt sana doctrina ac vitæ integritate, cunctis acceptos nos reddamus. & hoc est philosophari, nimirum verè agere hominem, quod est sapienter viuere, naturali lumine non abuti. non vmbras pro rebus admirari & amplecti.

LIBAVIVS.

Si medicina optimè caruit chymicis per tot ætates, & loca, quæ intemperiæ agitent medicum, vt ea in artis vsum assumat? Felicius agitur cum his, qui ne nomen quidem chymiæ audiuerunt. A pessimi enim veneni exulant suspicione. Cogita quæso quanta vis veneni sit eius, quod in præsens iuuare creditur, sed postquam à confidentibus & temerarijs assumptum est longo tempore post incautam naturam adeo opprimit, vt noxa sit inemendabilis.

RESPONSIO.

Qui perpetuo in puerili illo exercitationis genere, quod nullã in humana societate vsum habet versantur, non solum in litibus & strepitu

pitu tempus inaniter consumunt, sed loquacitate temulenti fiunt. & quia, si, coniunctionem mirabilẽ esse, pueri in scholis dicere solent, puerorum in morem illam in te retorquendo. quæro? si vera medicina nunquam caruit chymicis. qui fit quod eorum ars hominum impietate ac negligentia exoleuerit, ac ab illa degenerauerit? & in hanc sacrâ medicinæ professionem agyrtæ, blaterones, sophistæ gregatim irrepserint? quam suis nugis humoribus temperaturis, ne dicam superstitionum prętigijs adeò defœdarunt, vt nulla sit artium quæ ex illorum ignorãtia tot erroribus sit referta. ô terque, quaterque beati chymici, qui mundi consuetudine neglecta, ac famæ popularis egregij hostes, commentaria reliquistis obscuritatum ac ænigmatum plena, quibus adeo insolenti nominum, sermonisque obscuritate, indoctos asinos offenditis, ita vt quæ patres antiqui vmbra & enigmate obuelarunt, non modò nõ intelligant, sed ne nomẽ quidem vestrum illis innotescat. cùm enim vos circa humorem tantum versari docti sciant, vndè Chymici dicti, illi à fundendis metallis, tanquam fusorios dictos exi-

sti-

ſtimant. Et cùm dicunt vos non carere vene-ni ſuſpicione,qui tamen circa ſubiectum ver-ſamini, naturæ humanæ vtile, iucundum, a-micum ac familiare, quomodo ſe excuſabũt, qui nullis vtuntur pharmacis, qubius non ſit venenum admixtũ,ac correctione egeant, vt noxia natura miteſcat. alioquin citra pericu-lùm ab ęgrotante aſſumi minimè poſſent.nec ſolum natura venena ſunt, ſed etiam præpa-rata, niſi recta doſi exhibeantur, venena eſſe omnes fatentur. Nam vt benè inquit Celſus, omnis medicina ſolutiua mali ſucci eſt & vẽ-triculo inimica. vſqueadeò vt nullum medi-camentum reperiatur, quod dum corruptos & prauos humores educit, non ſimul bonos elidat, & aliquid de viribus & ſubſtantia cor-poris auferat. adeò laborioſum eſt, medicinas etiam non venenoſas aſſumere. teſtatur id-ipſum Galenus multis in locis, quæ breuita-tis cauſa tranſeo. Sed ne authoritate puero-rum in morem argumentemur, expendamus ſigillatim ſi placet, inſtrumẽta omnia, quibus ſanitatem conſeruare ac deperditam reſtitue-re conſueuerunt. exordium facientes à pur-gantibus medicamẽtis, quia in ijs maximam

ſalu-

ſalutis anchoram ſitam eſſe arbitrãtur. Nónne Scamonium venenum eſt, ex quo cotoneorum admixtione parant diagredium? quo ſic vim eius deleteriam refrenent. Præterea tytimalorum ſpecies & latyrim ac eſulam anne venena eſſe aliquis dubitabit? quid de Elaterio dicemus, quod hydropicis adhibetur, & cum tragacantho miſcetur vt miteſcat? Harmodactyli etſi iuncturis opitulari credãtur, ventriculum lædunt, ac raphano corriguntur. Thurbit ſolo nomine noxia natura detegitur, verùm zinzibere mitigatur. Colocynthis tantam inteſtinis adfert noxam, vt de eius adminiſtratione diſceptent medici. Sarcocolla erodendi vi prædita lactis admixtione tẽperatur. Veratrũ etſi veteribus ſit cómẽdatũ, tamẽ ita cõturbat corpus, vt cõvulſionẽ læthalem adferat. Sed relictis ijs, veniamus ad ea quæ benedicta dicuntur, & ſine noxa ab aliquibus eſſe creduntur. qualia ſunt Agaricus, Rhabarbarum, Caſſia fiſtula, Sena, Mãna, Aloes, Viola, Roſæ, Thamar indi, Myrobalani, & reliqua eius farinę. Aagaricus quidẽ eſt medicina domeſtica, vẽtriculo tamẽ infirmo, nauſcabũdo, colicis doloribus obnoxio,

&

& in principio morborum flegmaticorũ (vt vocant) tuto & ſine periculo non datur. Rhabarbarum benignum eſt pueris ac innoxium medicamentum, ſed quia fumoſum in doloribus capitis vitandum, niſi aqua endiuiæ aut violarum temperetur, eiuſq; adſtringens ſubſtantia plurimis morbis eſt incommoda. Sena tormina facit, niſi corrigatur: nec tantum flatulẽtis ſed etiam valde ſiccis naturis noxia. Caſſia etiam mediocri quãtitate ſumpta, mortem attulit: quæ in dolore capitis propterea quod fumos excitat, & ad caput mittit, nec non in imbecilitate inteſtinorum, quia lubrica plurimum nocet. Ita vt ſi omnia examinare particulatim quis velit, inueniet ad reliqua purgantia collatione habita, minus pernitioſa tantum eſſe, & quam ſanitatem purgando adferre videntur, non ſine virium detrimento fieri. adeò omnia ſunt incerta & confuſa, vt venena potius quam pręſidia dici mereantur. deinde ſi reliquorum medicamentorum vires examinemus, inueniemus facultates ita ſibi annecti, vt ſi prima culpa caruerit, ſecũda vitio detur. Et ipſe Galenus difficilè poſſe reperiri medicinã fatetur, quæ plurimũ proſit,

acc

ac non ſimul in aliquo obſit, veluti quod robur addit, obſtruit, contra quod aperit robur, minuit ac laxat. ſunt enim hæ vires ſemper æquales, etiam Gal. teſte, quantum enim conſtrictionis in medicina facultas augetur, tantum & roboris mẽbro addit. Cùm igitur paria ſint viuamentis detrimenta tantũ vnaquęque medicina nocebit quantum & iuuabit. Adeo vt tutius multo fuerit præſtãtiuſque ab omni prorſus medicaminum vſu, & in morbis prauiſſimis alieniſſimum eſſe, quã dubijs, obſcuris, imperitis, nullaque ſcientia ſtabilitis medicationibus ſeſe cõmittere. nam ipſamet pharmaca quæ hactenus in vſum veniunt, ita male ſana & corruptioni obnoxia ſunt, vt etiã per ſe aliquantiſper aſſeruata & non aſſumpta morbeſcant, morboſque quos propulſare deberent, potius introducant. vnde frequenter deleterium pro antidoto & mors pro vita offerri poteſt. Quod ſi alexipharmaca & bezoartica, quæ mirificis laudibus extollũtur, tanquam à tota ſubſtantia hominibus auxilium ferentia, aduerſus venenatam ac peſtilentem corruptionem, cõſiderauerimus, inueniemus multo plures ſic affectos perire, quam peri-

culo liberari. adeo vt euidenter perſpiciatur quantum à vera medendi via aberrent ac recedant. prætereo congeriem illam medicamentorum, in qua pharmacopolarum lucro conſulitur, & copia ingredientium. medicamentorum ſingularis memoria & authoritas medici commendatur. nam hac noſtra ætate plurimi pharmacorũ aggregatores eximij vt admirandam ſuam illam ſapiẽtiam oſtentent, adeo miſcere ſacra profanis ſolent, vt quem morbum facilè depellere poſſent vnica radicula, cõmodè adminiſtrata eum ſępenumero varia, indigeſtaq; ac longè petita medicamẽtorum congerie alant, foueant ac adaugeant. Cur putas medicos toties à Romanis exploſos, cur tã diu illis carere voluerunt, niſi quod præter ſupervacua impenſa, accedebat iactura populi. nec exiſtimes ſpontè admiſſos, ſed cum veneficia, adulteria, furta, cædes, irruperunt, ac Romanam rempublicam turbarunt. nam, vt Plinius teſtatur, tempore Claudij Cæſaris, dum Lychena & Mentagra purulentis in Italiam graſſarentur vlceribus, ex Ægypto accerſitos fuiſſe medicos qui hæc phagedenica ac fœda vlcera vrendo ac ſecando cura-

ſtabant, quo factum vt non medicinam ſed carnificinam eſſe crediderint, ac ob id meritò exoſam habuerint. Iudica nunc tu quis veneni ſuſpicione laboret.

LIBAVIVS.

Hoc modo Paracelſi *laudanum infame factum eſt. Hoc modo & alia. Quid enim poteſt ſpei & ſecuritatis ineſſe illi, quod ante præparationem fuit indubitatum venenum? Finge chymica arte tolli aliquid. Certe ſi actum in præſens remoratur, aut propinquam potentiam retardat, remotiorem certè non poteſt auferre niſi re totaliter deſtructa. Nihil perit totum. Nec quoduis corrumpitur in quoduis, ſed omnia in determinatum ſibi, quod prioris aliquam & adhuc obtinet potentiam, ex qua poteſt eluctari & in actum venire. An non animaduertiſti ſcammoniam toties corruptam etiam in lacte purgare? Ne dubites ergo ex venenata re confectam eſſentiam chymicarum ignibus non totam exuiſſe naturam, ſed ex proxime veneno ſaltem factum venenum remotè, quod tandem interficiat, ſtatue. Ita cinabaris primum iuuare creditur, ſed tãdem emergit pernicies, in his qui improuidè copioſeq́ deuorarunt, nec ante noxam inflictam egeſſerunt.*

RESPONSIO.

Docent doctores in ſcribendo cauendum eſſe, ne probabilia pro neceſſarijs, aliena pro conſentaneis, falſa pro veris vſurpemus. quod quidem ſæpè accidit nimia diffuſè orationis licentia, vt ſub orationis veſte commodiùs mendacia latitent. & cùm multa dixerint, vera quoque dixiſſe videantur: plurimi vel quia non poſſunt aſſequi quod quærunt, vel quod alios in eo genere ingenio feliciori ſe: vident, aut in rem ipſam, aut in eos qui de ea ſcripſerunt obſcurius quam eorum ferat intellectus inuehuntur. eóque ſibi laudem cõparaſſe putant, quod alios carpſerint. in eiuſmodi arena cum tenebris dimicare videris, mi Libaui, quod laudem ex aliorum vituperio tibi parare cupias, dum *Paracelſum* vatiniano odio proſequeris, quem laudare par erat, ac admirari, eo quod eam partem medicinæ tractauit maximè, quæ à ſuperioribus medicis vel neglecta perperam, vel minimè intellecta videbatur. Impijſſimè certè te feciſſe iudicant, omnes ſaniori doctrina imbuti. quod in mortuum, eumque illuſtrem Philoſophũ, & de literis ac medicina optimè meritum,

quique

quique hactenus apud omnes bonos & doctos communi consensu in pretio est, tãquam in rudem asinum, vt elegans videaris & facundus calumniarum tuarum flumine, impudentissimè inueharis. & quamuis pauca suæ doctrinæ fragmenta hactenus extent, nihilominus inimicorum eius nullus potuit vnquã vel minimo verbo, verisque rationibus contradicere, at calumnijs & conuitijs tantum: quæ quidem in propria conviciatorum capita redundant. vti patebit ex reprobato eius laudano, quod cùm ignores quid sit, tamen impudenter infame esse, dicere non dubitas, ea ratione quia ante præparationem indubitatum erat venenum. quasi verò eadem regula vestra theriaca non foret explodenda. cùm basis & fundamentum eius sit vipera serpentum pestilentissimũ, mortem leui attactu incurabiliter inferens, vnde etiam denominationem contraxit. quod si laudanum non minus salutiferum quã vestra theriaca (verè cõfusionis exemplum) reperiatur, an ideo reijciciendum, quia nouum & tibi inauditum? & quamuis antiquitas cõciliet gratiam, nouitas inuidiam, minimè tamen moramur eos qui

nouitatem tanquam crimen aliquod obijcere volunt, quam à quoquam nec reprehendi nec vitio dari meritò posse existimo, nisi fortè ab his qui mentes hominum natura liberas, captiuas detineri aliorum inuentis, volunt. Non enim venenum est, quo homini succurritur, quo ægrotantes sanantur, sed quo necantur & in discrimen ducuntur. vides ne quomodo multa prolixaque narratio, suis erroribus non careat? Et qui ad repræhendendum alios paratissimi sunt, in se parũ animaduertunt: nemo id repræhendere debet, cuius virtutem non nouit. Sed redeamus ad infame laudanum, quod laudari tum ob artificiosam compositionem, tum ob admirabilis suas virtutes, iuste ab omnibus meretur. Infame esse dicis, quia ante præparationem erat venenum, credo te id existimare, vt vulgus medicorũ ratione opij & succi iusquiami. quorum illud Turcæ in frequenti habent vsu, aliud verò in sedandis doloribus nonnullis pro secreto est. nam etsi venena, vt dicis, sunt, ita tractari poterunt, vt venena amplius nõ sint: & hoc tui carbonarij nouerunt. & tuo more garris dum ex proxime veneno factum re-

mote

mote asseris. Sed expendamus primum eius compositionem, vt sic infamia magis detegatur. Constat hoc medicamentum ex succi peregrini ac domestici extractione (sic enim opium & Iusquiamum nobis vocare libet) quibus additur magisterium diambre, perlarum, corallorum, essentia croci, mummiæ, succini, cariophyllorũ, musci, & ambræ. quid in hoc medicamẽto reprehensione sit dignũ, facilè iudicare poterit is, qui veritatis amore magis quam odio flagrat. quod si eo nomine quia opiũ recipit, reprehendi meretur, eadem ratione omnia opiatica explodẽda erũt, quod quã sit absurdũ, nouerunt ij qui ad vehementes colicorum, nephriticorum, pleuriticorum arthriticorum cruciatus consopiendos fœlicissimo successu fuerunt hactenus vsi. his adde quod ad somnum accressendum, ad tussim leniendam, sanguinis excretionem cohibendam, destillationes sistendas, nulli medicamento cedunt. non ergo ita temerè & impudenter sunt damnanda opiatica, modò rectè parentur, & non vt vulgo fit cõfundantur. Et cùm laudanum omnibus opiaticis sit anteferendum, vti ex cõpositione eius patet,

quis eſt tam perfrictæ frontis qui illud damnare cogitabit. quid enim habent illa, quod cum huius præſtantia, in dolorum ſedatione, in magno febrium atq; inflammationũ æſtu, in peſte, in omnibus ſupradictis morbis comparari poſſit? iactent quantum velint eorum experientiam logidędali. verum, ſi ex euentu res iudicare volumus, laudanum reliqua longè à tergo relinquet. ſed ne verbis magis quã re certare videamur, conferatur quæſo vulgarium opiatorum compoſitio cum noſtri laudani confectione. Deus bonè, quanta differentia reperietur: in illis enim tanta eſt confuſio, vt nulla ſcientia, nulla naturæ cognitio, nulla induſtria, nec methodi vlla vmbra deprehendatur: corpora enim nõ ſolum craſſa, cruda, indigeſta, imò deleteria à noxijs impuritatibus non ſeparata cõfunduntur ac miſcẽtur. & cum vnicuique rei ſua virtus inſit ac ſuum etiam virus habeat, à quo arte repurgari debet, cur faſcinata mente tam ſtupidi erimus, vt melioribus propoſitis, deteriora ſequemur in ægrorum perciniem. & vt omnibus conſtat quam periculoſum ſit vulgaribus opiaticis vti: ita nos atque ij qui noſtarm ſequun-

quuntur in medēdo rationem, ſatis nouimus quam tuto & ſecurè, noſtro laudano vti poſſumus. quia in eo nihil ingreditur niſi quod purum eſt & à ſuis fæcibus ſeparatum, ex quibus reſultat compoſitum liberum & ſuis inquinamentis non impeditum, ſed ad potentiores facultatum gradus deductum. Eſt enim medicamentum vſqueadeo anodinum, vt abſque vlla ſenſuum ſtupefactione nō modò dolores omnes in corpore exiſtentes ſedet, ſed quicquid maligni in eo latet, per ſudores à centro ad circumferentiam expellat. Cæterum non ea ratione anodynū dicimus, quod calidum ſit in primo gradu vt *Gal.* de ſuis pronunciat, ſed propria & innata virtute, quam non tantum ex opio, aut eius qualitate, ſed à toto compoſito contraxit. Sola enim vis efficacia, facultas, & proprietats medicamentorum morbos abigit, ſanitatem reuocat, robur ac vires morbo amiſſas, reducit. Effutiant alij quicquid velint, de ſuis primis & ſecūdis qualitatibus, & ſit manifeſtum inſcitiæ ſignum proprietatibus rerū facultates adſcribere, vt nonnulli medicaſtri indies nobis objiciunt, nos è contra in magnis tenebris cęcutire illos di-

dicimus, qui proprietates rerum negantes actionum efficientiam manifeſtis qualitatibus adſcribunt. quid enim dicent vbi conſpexerint portulacam curare hęmodiam dentium: magnetem attrahere ferrũ, catharides geſtatas veſicam exulcerare, pſeudomelanthiũ manu contentum ſiſtere ſanguinis fluxũ, modò ſuo tempore balſamitico colligatur, radices chelidoniæ minoris hęmorrhoidum dolores ſopire, & infinitas eius generis facultates. nullus profectò ſanæ mentis iſtas actiones manifeſtis qualitatibus ſed rerũ proprietatibus adſcribet, niſi fortè quis *Libauium* in libro armamentario ſequutus, quæ mente aſſequi non poteſt, diabolicis artibus acceptum ferat. Sed ad examinationem noſtri laudani rurſum redeamus. quem quia opium recipit, ſuſpectũ reddere conaris, eo nomine quod frigidum eſſe ac ſtupefactiuum vno ore omnes vociferentur, cùm tamẽ ſub iudice lis ſit ac hæreat. plurimi enim qui manifeſtioribus rebus intenti quæ pœnitus abdita ſunt prætereunt opium frigidum eſſe, tum ex *Gal.* tum aliorum ſententia aſſerere nõ dubitabunt. nam ſi ſpectemus quid medici ferè omnes de eo memoriæ

moriæ prodiderunt, tum effectum ſtuporis in eius exhibitione non dubium, quin frigidum eſſe pronunciabimus: verum è contra, ſi guſtu amarorem perceperis, & vim diaphoreticam intra corpus aſſumptum expertus fueris, frigidum eſſe nullus compos mentis dicet. quid igitur in hac controuerſia concludendum erit, nimirum quod Gal. lib. tertio de ſimplicium medicamentorũ facultatibus. non enim ambigit, rebus propemodũ omnibus multas ac diuerſas ineſſe facultates, dum inquit omnia propemodum medicamẽta, licet ſenſu ſimplicia appareant, natura tamen ſunt compoſita, quin & ſubinde diuerſiſſimas in ſe continent facultates, nempe excernendi & ſiſtendi, extenuandi & incraſſandi, rarefaciendi & denſandi, contrahendi & laxandi, cæteraſque operationes vniuerſas: vt videre eſt in braſſica beta & lacte, quod dum ſegregatum eſt in, ſerum & caſeum illud ventrem ſubducit, iſtud verò eundem cohibet. nec difficile eſt diuerſas in lacte partes, quid ratione ſingulæ poſſunt definire. at in rebus plurimis alijs idem velle in definiendo tentare, factu perquam difficilè eſt, niſi partes vt in lacte ſepa-

ſeparatim reddantur cõſpicuè. Itaque opium eadem prorſus ratione nobis examinandum eſt. Hanc artem *Gal.* vnicè exoptauit, vt patet libro primo ſupra allegato, vbi dixit, ſe ex animo admiſſurum, ſi quam machinã aut artem inuenire poſſet, vt ſicut in lacte contrariarum partium fit ſeparatio idem in medicamentis experiri poſſit. garrias in tuis epiſtolis quantũ velis nos ex Gal. verbis illum ſenſum facilè eruimus, etſi nos Itali non ita pergræcemur vt Germani. Sed ad rem. quemadmodum lac in ſerum butyrum & caſeum ſoluitur, ita opium in aquam, oleum, & terram eſt diuidendum, hoc eſt in mercurium, ſulphur, & ſalem, in opij-mercurio latet frigiditas & ſtupefaciendi vis, in ſulphure anodyna virtus, in ſale amaror & facultas diaphoretica. In præparatione igitur laudani ablato mercurio reſtat ſal & ſulphur, in quibus poteſtas anodyna & diaphoretica relinquitur, vſqueadeo vt luce meridiana clarius appareat, medicamentum eſſe planè innoxiũ. verùm ſi quis adhuc dubitet in ſolo opio pręparato faciat periculum & crudi ac præparati differentiam facilè percipiet. Concludo igitur, ratione opij ſuſpe-
ctum

ctum esse laudanũ, minimè posse, multo minus confectio diambræ erit accusanda, quæ ad omnem corporis imbecillitatem & noxã à frigido contractam sit efficacissima, & quãuis corpora non purgata recipiat, tamen nostra præparatione, purum ab impuro separatur. de perlis siue margaritis quæ cordis affectibus præcipuam opem ferre scribunt Arabes, non est quod quisquam ambigat. vti nec de corallis, qui præter cæteras virtutes commendantur, quod cordi hilaritatem adferant, & sanguinem purificent, imò corpus cœlesti quadam vi in temperatum habitum, absolutamque commoderationem restituant. Crocus vrinam prouocat, colorem emendat, cõcoctionem adiuuat, & cordi conuenit. Mũmia plurimis pollet facultatibus, cordis affectus remouet. Succinum datur ad colicos dolores, flatus dissipat. Cariophylli tum ventriculum, tum caput roborant, cibi appetentiã prouocant, adferunt & iecinori præsidium. Moschus cor frigidum ac tremulum confirmat, omnibus ipsius affectibus auxilium præstat. Ambar cerebro & cordi, olfactu robur addit, senibus & natura frigidis, opem mirifice

ficè præſtat. Hæc cùm ita ſe habeant, quomodo infame eſſe dicis? niſi quia tu cum tuis pſeudochymicis eius præparationem ignorantes ſpurium laudanum, nec à *Paracelſo* nũquam excogitatum producitis: vides igitur clarè chymicum arte ſua nihil fingere. ſed reuera tollere quod noxium rei ineſt, & actionem aut impedire aut retardare poterat. dum hoc fit nullus actus remoratur, nulla propinqua aut remota potentia retardatur, ſunt iſta ingeniorum laſciuientium exercitamenta, inania verba ad oſtẽtationem potius quam doctrinam prolata. quomodo verò totum pereat, nec quiduis corrũpatur in quoduis antea diximus, nec opus eſt hic repetita crãbe. ipſe fateris ſecunda epiſtola, quoduis nõ corrumpi in quoduis, ſed in id quod priorem adhuc redolet ſubſtantiam. vtinam hoc nobis clarius explicaſſes. Sed quãdo dicis omnia in determinatum ſibi corrumpi, ita vt prioris aliquam retineant potentiam, ex qua eluctari & in actum venire poſſint, quid aliud eſt, quam inanibus ſophiſtarum argutiolis ludere? quæ nec tu intelligis, nec alios intelligere permittis, ſed ſimilis videris Platonis ſophiſtæ, qui canem

canem aiebat esse suum patrem, & eundem patrem omnium, & omnes omnia scire. De scamonio quæ addis nihil ad rem facit, & in corruptionis verbo sophistam agis. minimè dubito, ex re venenata, non solum veneni essentiam posse extrahi, sed etiam substantiam veneno planè expertam. argumento est stibium, cuius substantia rectè purgata ac vsurpata, vires non pœnitendas exhibet. quod dicis maligna & veluti venenata qualitate purgatorium euadere, cur non distinguis de quo stibio agas. nā quod vestrum vitrū, aut flores sublimatione attenuatos, venenū esse asseras, doctis satis patet. verū si illud vera arte preparetur, vt absq; vlla violenta cōmotione, absq; vllis symptomatibus, puta vētriculi subuersione, in appetētia, virium dissolutione, syncope, aut similibus, nec per superiora, nec per inferiora euacuet, tamē morbum curet, num tuto intra corpus deglutiri posse, iudicabis? an quia *Paracelsi* inuētū venenum esse ꝓnunciabis? oleū etiā arsenici dulce, contra cancrū exulceratū, nónne absq; vlla corrodēdi vi arsenicalē tartarū in cancro latētē dissoluit? ita vt absq; vllo dolore sanet. iā in vegetabilibus,
quis

quis ignorat, lupinos maceratione ita ingratam amaritudinem exuere, vt in delicijs sint apud Italos. Sed quid ista prosequor, cùm iam & ratione & Galeni testimonio, satis sit probatum. qui aliter sentiunt, aut garriunt, aut parum in rebus se versatos ostendunt, & qua parte maximè sunt imperiti, ea alios docere conantur. De cinabari quod adfers, responsum non habeo, cùm ignorem an de factitia aut naturali loquaris, quarum hæc in epilepticis summum est arcanum, illa verò pseudochymicorum non Chymicorum instrumentum. nec me latet raras ac singulares medicinæ proprietates, apud nonnullos nostræ ætatis medicos, minus authoritatis habere, quam figmenta poëtica, aut aniles fabulas, imò minus quam somnia. At cùm eas nunquam experti sint, quis non mirabitur eiusmodi hominum audaciam, qui quaslibet res sibi ignotas, damnare perfricta fronte audent.

LIBAVIVS.

Philosophos se nominant chymici: in hoc quanta est vanitas? Si vel vmbræ somnium de philosophia chymiæ inesset, eam ne in descriptione artium philosophi-

ſophicarum putes præteritam? Quò quis philoſophus præſtantior eſt, eò ſe alieniorem à chymicorum cohorte exhibet. Omnibus numeris ea ſapientia, quanta cadere in hanc naturam poteſt, eſt abſoluta à veteribus: omnem eſt complexus Plato, Ariſtoteles, & reliqui. De chymia quid hi? Tantum nempe quantum de carbonaria. Si aduertas poſteriores philoſophos, quibus artificium innotuit, condemnatum deprehẽdes. Tot ſunt academiæ in vniuerſa Europa. Nullibi valet eius artis profeſsio, nempè indigna iudicata eſt liberalium & ingenuorum ſtudiorum conditione. Et quis eam in publicò ſapientiæ ſuggeſto pulpitiſq; doceret, ni vellet fraudum & impoſturarum magiſter, imò barbarici buccinator proclamari? Non cõueniunt caſtis ſcholis portenta illa vocabulorum, Turbith, Mercurius, Elixir, Rebis, Et quæ alijs vocibus longè aliud dicuntur indicare, ſulphur, elementa, eſſentia quinta, & his ſimilia, quæ quantum habent rei, tantum impoſturæ & mendaciorum. Non in philoſophorum profeſsione chymia eſt, ſed in hominum improbiſsimorũ. Horum collegia admittunt quicquid vbique eſt fugitiuum. In his ſunt aurifices nefarij, & adulterati auri argentiq; rei: in his flagitioſi & à diuina vocatione deſciſcentes capellani:

Organicines temerarij, vetulæ putidæ, barbitonsores olidi, rabulæ periuri, & ad peierandos Deum, hominesq; parati; astrologi mendacissimi, monachi maximè deliri, Iudæi virulenti sceleratiq;, magi pestilentes, & eius generis multi. Quò enim vesanior quisque est, & vanitatum studiosior, eò chymiæ deditior: quò ordinis sui desertor contaminatior, eò chymiæ appetentior, vt ita chymiæ professio sit proluuies & chaos impuritatis & fecum humanarum, & hominũ nefariorum illecebra portusq;. Huic tu locum inter philosophos concedas? Cum tali homine tu vel ambulare nauigareve sustineas?

RESPONSIO.

Ignorantia chymiæ te iniquum chymicorum cẽsorem facit, quasi vero illa ars abhorreret à philosophi officio: nam ipse *Arnoldus* (vt reliquos prætercam) te mendacij accusat, dum dicit, quicũque ad hanc artem vult peruenire, & nõ est philosophus, fatuus est: quia hæc scientia nõ est nisi de occultis philosophorum. quod si Arnoldi ac aliorũ authoritatem reieceris, eadẽ lege cur nõ tuum Platonem & Aristotelem reprobandos tanquam huius artis ignaros censebimus. Notũ est nobis, duo esse philosophorum genera, vnum

vnum eorum qui naturã duntaxat per ſe inueſtigãtes, virtutem ac potentiam quam habent ſublunares tum ab elementarijs (vt dicunt) qualitatibus, tum à cœlo & ſtellis literarum monumentis tradiderunt, tales ſunt medici inter quos alij animalium, alij herbarum, arborum, plãtarum, alij lapidum & metallorum naturam (vt putant) deſcripſerũt. Alterum verò longè quidem ſplẽdidius eorum eſt, qui non ſolum naturã ſed ipſum denique naturæ arcanum eiuſque penitiora adyta ſagaciſſimè ac argutiſſimè penetrantes veriori vocabulo philoſophi nomen ſibi vſurparunt, quales ſunt chymici. quocirca vides quam ſtupidũ ſit philoſophiæ larua homines decipere, ſed pauci qui ſapiunt pluribus aberrantibus ſunt præferendi. quam adducis argumentationem tenuiſſimo nitentem filo, vt plura alia verè tremulam & caducam eſſe norunt pueri, & cogis me repueraſcere, dum argumentandi leges repetere facis. ſcis negando nihil probari poſſe, quare chymiã nõ eſſe Philoſophiam, eo quod tui Philoſophi eam prætererierint, quã benè concludatur, tu indica. Quid ſi dixero innumera

ferè esse hominibus conspicua, quorum ratio, non potest iniri & multa in intimis naturæ penetralibus delitescere quę nec ratio vlla, nec humanus intellectus hactenus cōprehendere potuit, nónne veteres plurima inuestigāda posterioribus, necessario reliquisse constabit? reuera tam peccant qui ab infidelibus peruestigata omnia compręhensaq; esse contendunt, quam qui nos sub eorum iugo detinentes rerum cognitione priuant, ac de veterum doctrinarum cognitione deijcere conantur. certè mirum est adeò corruptos esse homines, vt non modò in veritatis ignoratione tanquam in crassa quadam caligine versentur, sed etiam plærique veritatis lucem oderint atque refugiant, quanquā autem vtrunque dolendum est: melius tamen cum ijs agitur, qui ita ignorant vt scire velint, quam cum alijs quos sua delectat cæcitas atque ignorantia. Et quis non deploraret tantam stoliditatem eorum hominum, qui sua figmenta tueri conantur authoritatibus ac somnijs mortalium, & præsertim infidelium, vt quicquid ex istis hauserint ex intimis poilosophiæ abditis depromptum putent,
iu-

iurentque in verba magiſtri, cuius opinionibus ſic captiuantur, vt nullis aduerſis rationibus vincãtur, nullis ſcripturis acquieſcant, ſed pro oraculis habeant eorum axiomata, quæ non aliundè quã ex falſis opinionibus ſuarum præceptionum ſunt deducta. quicunque ſunt artis chymicę ignari, etiam ſi in ſcholis doctiſſimi habeantur, tamen hanc artem improbare ſolent, quia tale nunquam in ſuis ſcholis audiuerint. nec inde ſequitur eſſe damnandã quod ignorauerint eam docti viri. multa ſiquidem noſtro ſæculo prodierunt in lucem quæ priſcis ignota fuêre, non ſęcus ac plurima iam deliteſcunt nobis, quæ philoſophis antiquis erant familiariſſima. quid non temporis iniuria, nec non hominum ignauia tranſit in obliuionem. Sed quos mihi philoſophos narras Platonem nimirum & Ariſtotelem ac eorũ ſequaces, qui verboſa loquacitate præter imaginationes parum habent, etſi verum dicere liceret, de natura pro eorum arbitrio fabulãtes ventoſis ſophiſmatibus eam circumſcribunt. nam cùm infideles fuerint, nec Deum cognouerint, naturæ veritatem pro dignitate aſſequi

non potuerunt. multa ſciuit Plato, Ariſtoteles, Galenus, ſed plura ignorarunt, quæ ſequens ætas è tenebris eruit, & in lucem protulit. Hæc non ideo à me dicuntur, quaſi conarer veluti ingratus eos contemnere ac profligare, quibus nunquam debitas gratias agere poſſumus, eo quod multa præclara poſteritati reliquerint, fatemurque vnumquemque eorum in ſuo genere excelluiſſe: errareque dicimus illum, qui Galenum tanta ingenij artiſque ſubtilitate, tanto rerum vſu præditum, parui facit. At ſi in natura neceſſe eſt (vt ait Cicero) abſolui aliquid, atque perfici, ad ipſorum fortè ætatem laus medicinæ perfecta nondum fuit. ætas poſterior priori amplius erudiendo laborauit. nec mirum eſt ſi eam quam ignorarunt artem non tradiderint. malè enim Platonica, Ariſtotelica & Galenica cum Hermeticis conueniunt. licet illa ad hanc quodammodo viant, ſternant ac præparent. tamen longa via inter ſe differunt, nam illa, ſi verum fateri velimus, in contemplatione tantum, quæ de rebus naturalibus, ingentem diſſerendi copiam adfert, verſatur, hæc

verò

verò in actione quæ contemplationis veritatem comprobet, & ocularıter demonstrare poteſt, quod docet. non enim verbis; ſed elaboratis rebus duntaxat adimpletur, vt reliquæ omnes quotquot in vſum & neceſſitatem hominum veniunt artes. multa nobis videntur vera, quæ ſi in actum deducantur, falſa eſſe comperiemus: nam multi ſæpè in vniuerſalibus illis conceptibus, & in tota theoria exercitatiſſimi, vbi ad actiones particulares deueniunt, turpiſſimè hallucinantur & ineptiunt. Nec mireris ſi ijs non placeat aut prodeſſe poſſit Chymica philoſophia, qui in Ariſtotelis ſcholis alti, nugis & paralogiſmis referti ſunt. imò adeo improbatur, vt nefas ſit de chymicis loqui, qui ſe totum eius nænijs ad aures vſq; expleuerit. Et videmus hoc ferreo ſæculo vſu venire, vt qui res ab imo naturæ ſinu, non minus animo, quam corporis oculis, liberè intueri deſiderat, imitationeq; illius tanquam theſei filo ductus, labyrinthum naturæ ingreditur, nec nō pedē ponit in illa arena, in qua impreſſa præclarorum virorum veſtigia conſpicit, hunc momento

Diris deuoueāt, ac principia euertere vociferentur. Et contra negantem principia non esse disputandum tyrannico more impotenter imperent, & dum nimio persuasionis doctrinæ fastu turgent nihil sciunt, quia Aristotelicæ doctrinæ plus iusto addicti secretiores causas non recipiunt: & hinc fit vt quo quis Aristotelicus præstantior, eo se alieniorem à chymia exhibeat. infœlix mortalitas inutilibus quæstionibus & disputationibus vitam traducens naturæ præcipuos thesauros in quibus grauissimorum morborum medicinæ ab altissimo collocatę sunt, intactos relinquens, nec ipsi solum relinquimus, sed alios inquirere volētes prohibemus, impedimus, condemnamus, irridemus, ac mille ludibrijs afficimus. Nō imus inficias omnibus numeris scientiam absolutam esse à veteribus, verùm qvod *Gal. Plato, Aristo.* ac eorum sequaces, vero naturæ lumine destituti, hanc fuerint complexi, falsum est. & verè dicere poteris illos non tractasse de chymia, quia tantum illis innotuerat quantum carbonaria. Quod si *Gal. Plato, Aristot.* eam nec nouerint nec tractauerint, nō inde efficitur, artem non

non esse veram.licet enim profundissimi naturæ scrutatores fuerint,homines tamen fuerunt, proinde multa ignorare potuerunt: imò & reuera multa in ea arte quam professi sunt,ignorarunt, quæ à posteris inuenta nobis tradita fuerunt. At *Aristotelem* chymicũ, ac alios quibus artificium nõ fuit occultum, non cõdemnatos esse in academijs dicimus, eo quod eius artis professio,nullibi valeret, aut indigna liberali ingenio iudicata fuerit. sed quia academici ac peripatetici, tui similes,proprijs opinionibus abrepti,arbitrantur se cum pulcherrima scientia negocium habere,cùm nebulas inanes turpissimè contractent: portentaque multa non sine magno hominum incommodo gignant.se ipsos verò si agnoscerent, non proprias & impuras phantasias sequerentur, alijsque illas obtruderent, sed experientiam quæ est omnium certissima & iucundissima proba amplecterẽtur. Et hoc esset fraudes ac imposturas quę publicè pulpitis docentur,detegere. malè te habent video vocabulorum Chymicorum portenta,sed tuá illis putent: & scias ex professo ab ijs esse conficta, vt sic suis tantũ scribentes

bentes indignos tui ſimilis repellerent. cur non licebit inuentoribus nouarum artium, aut ſaltem earum quę tranſierant in obliuionem, inſtaurationibus pro arbitrio, noua fingere vocabula, quibus inuentum hoc ſuum recens indignis contegant? præſertim in his quæ Deus non niſi pauciſſimis ijſq́; pijs hominibus nota eſſe voluit. cùm arcanorũ ſuorum ipſe diſpenſator ſolus ſit, arcanorum igitur homo, non niſi velatum indignis hominibus, docere debet, niſi Dei velit indignationẽ incurrere: in reliquis theatri nugis quæ addis, tam egregiè hominum propudia, ſcurrarum ac nebulonũ exercitum conſcribis, vt non immeritò eorum dux eſſe videaris.

Libavivs.

Ad authorem Hermetem refertur quem eximia ſapiẽtia præditũ fuiſſe narrant. Si ſcripta eius intuearis tenebrionem agnoſcas, & mundi deceptorem. Si enim bonus fuit, & poſterorũ conſulere cõmodis voluit, non debuit caligine inuolutam doctrinam ſpargere, & ampliſsimis promiſsionibus nihilominus ad inexplicabiles perplexitates lectorem inuitare. quæ res poſtea camarinam impoſto-

rum progenuit. Paſſus ille fuit ſe triſmegiſtum appellari, aut etiam ipſe mercurij, qui pro Deo babitus eſt, nomine arrepto ſibi iſtud impoſuit vocabulum. Hic quid non latet arrogantiæ ? Quid non impietatis ? à tali arbore poteſt ne bonus legi fructus? Si conſideres ſucceſſores & totam illam turbam ψευδονύμων philoſophorũ ipſam obſcuritatem & pluſquam Ægyptias, Cymmeriaſue, inuenias tenebras.

Responsio.

Hic tanquam Tenedius Tybicen audes Hermetem lingua tua virulenta petere, veluti ſi ſcarabeus aquilam prouocaret : audiuiſti fortaſſis aliquando homines incognitos, ob egregiorum virorum inſectationem, claros euaſiſſe. & videris mihi imitari Zoilum illum amphipolitem, qui hoc facinore potiſſimum nobilitatus, quod Homerum, poëtarum omnium principem, auſus eſt libris aliquot in eum ſcriptis inceſſere. Sic lycus & Iulianus, nominis conquirendi cauſa Hippocrati ſunt aduerſati. hoc exemplum credo ſequutus, Hermetem, petulãte lingua proſequeris, exiſtimans te laudẽ ex tanti viri de-

detractione consequuturum. verùm eius fama adeò percrebuit, vt neque tuis laudibus augeri queat, nec minui detractione, nec fert eius dignitas atque authoritas, vt à tua natura qui detrahendi artem ab infantia decilisti, mendacio damnetur. Hunc ob dicta obscura quæ nõ intelligis, tenebrionem vocas ac mundi deceptorem, atque ita agis tãquam si vera philosophia in linguas & conuicia migrasset. verùm quæ hęc denuò incõstantia ac lenitas mi *Libaui*, in epistola dedicatoria ad Illustriss. Saxoniæ tutorem scripta Hermetem laudas tanquam hominem philosophum, pium, ac iustitię studiosum, & vis vt ad illius exemplar suas conformet actiones. qua fronte hic deceptorem vocas? talem ne sibi imitandum proponet vir per se omni laude dignissimus? an ignoras mendacem debere esse memorem, aut hic aut in epistola dedicatoria mẽdacia te scripsisse certum est. in qua ita scribis: Fuit olim Ægyptius philosophus Hermes (quem Latini Mercurium vocant) appellatus, qui ea profiteri creditus est, quorum scientia & professione homines fierẽt termaximi. fiducia enim hu-

ius prærogatiuæ, etiam ipſe ter maximus eſt appellatus. Docuit autem tum alia ad magiã diuinam naturalemq́ue ſpectantia, tum chymica artificia inuenit, quorum quod occultiſſimum eſt & maximè admirabile ęnigmaticis ſententijs in ſmaragdina deſcriptũ tabula reliquit. Dicitur à quibuſdã, maximus fuiſſe theologus, qui cùm *Zoroaſtro* & *Prometheo* rem diuinam poſt diluuium vniuerſale potiſſimum procurarit propagaritq́ue. fuiſſe etiam naturalium rerum & in primis chymiæ illius mirificæ, aſtrologiæq́ue ſcientiſſimum, & tandem politicarũ artium peritiſſimum. vnde quia ſacerdos ſummus, rex maximus, & philoſophus ingenioſiſſimus exſtitit, conſecutus ſit laudem nomẽq́ue ter maximi, Deo ſtatim à diluuio miſeris mortalibus, per ingenium illuſtriſſimum iterum ſua beneficia præſidiaq́ue optimè inſtituendæ vitæ largiente. quod ſi talis fuit, qualem reuera depingis, longè abſuit à deceptoris conatu. nec ſufficit dicere, hic eſt nequam, atque deceptor, ſed cauſam adferre debebas, cur talis à te exiſtimaretur. Facilè eſt veteres repræhẽdere, atque virulentiſſimis cõ-

uitijs

uitijs inſectari, ſed meliora docere quam illi reliquerunt arduum eſt. Et qui ſic alios audet appellare, ne ipſe talem ſe eſſe hoc ipſo palam facit. Diabolus enim alios calumniatores appellat, quia tales omnes eſſe cuperet. quod ſi aduerſus chymiſtas calamum arripere eſtuabat animus, probabilibus rationibus ex arte deductis, redarguendi erant, & non calumnijs & iniurijs inſectandi, aut iocis & facetijs illudendi. Sed dic (quæſo) per Deũ immortalem, quid eſt iniquius? quam vt oderint homines quod ignorant, etiam ſi res mereatur odium. quid demùm futilius? quid abiectius? quæue maior eſt deliratio ac vecordia? quam laudare aut damnare eam ſcientiã, in qua nihil prorſus olfeceris, qui dum alienum aras fundum, nec chymiã nec chymiæ maieſtatem nec proprietaté neque occultas eius operationes vnquam didiceris. ſi *Hermes* obſcurus eſt ac tenebrio, ita vt eũ nõ aſſequaris, cur deceptorem mundi vocas? quia *Libauio* non datum eſt intelligere eius mentem. tanquam ſi mũdus *Libauij* ingenio cõpræhẽderetur. quaſi verò *Hermetis* mens, hoc eſt ipſa chymia non ſit eiuſmodi, vt vel ma-

maximè possit communis esse omniū, modò animū à vulgo receptis opinionibus, ad ipsam rerum vim ac naturam, quam sagacissimè aptissimis figmentis adumbrarunt veteres, perspiciendam conuertas. Tuo iudicio si posterorum vtilitate consulere voluit, non debuit caligine inuolutā doctrinam tradere, sed ita scribere vt absque labore etiā rusticis pateret aditus, ac vnicuique illotis manibus, liceret eam exercere. vt principijs & elementis expositis, demonstrationibus mathematicis essent clariora. Sed mi Libaui, cur no Pytagoram accusas, qui philosophiam numeris suis obscurauit. & Aristotelē qui aliquot libros edidisse, perinde ac si nō fuissent editi, testatur. sed & Platonem id ipsum etiam fecisse legimus. nā per similitudines mathematicasque figuras præceptiones suas abstrusit. indicio est eius epistola, quam de natura primi entis ad Dionysium scripsit. Scribēdum est (inquit) per ambages & ænigmata, vt si fortè mari vel terra iactari librum contigerit, qui legerit nō intelligat. & hoc etiam poëtis fabulandi locū, dedisse arbitror: ne res adeo sublimes ad plebem ignobilem deuenirent,

sub

ſub fabellarum extraneo cortice, ſuauiſſimũ philoſophiæ victum recondere voluerunt. omitto Hippocratem qui adeò obſcurus eſt, vt nec ipſe Galenus eum vbiq; intellexerit. adeo enim nobis medicinam rudem, indigeſtam, & incoctam, rerum confuſione plenam obtruſit. verùm ſi illos repræhẽdis, qui ſub duro aliquo putamine ſapidum nucleũ produxerunt, eadem ratione de natura conquæri poſſes, cur nobis triticum & non panem produxerit. An ignotum tibi eſt Deum maledixiſſe homini præcepta eius tranſgredienti, quod in ſudore vultus veſceretur pane ſuo? Laborandum igitur eſt, neque enim vllus naſcitur artifex, ſed ſudando & exercẽdo ad artem peruenit. ita tibi laborandum in philoſophis eſt, quorum ſcientia non ex Galeni, aut Ariſtotelis, Platonis, aut aliorum eius farinæ Græcorum placitis eſt metienda. eorum quidem ſcripta iucunda ſpeculatione animum oblectant, at in alijs cum iucunditate coniuncta eſt felicitas. quam ſi Deus tibi concedere dignaretur, ſat ſcio quod pœnitentia ductus, palynodiam caneres eorum quæ edidiſti. Nullam igitur rationẽ habes,

cur

cur Hermetem aut alios Ægyptios vates ac theologos insecteris, qui nefas esse ducebant sapientiæ mysteria, literis communibus vulgo indigno ac profano prodere: sed si quid cognitu dignum iudicassent, id animantium rerumque variarum expressis figuris (quas hieroglyphicas vocabāt) ita repræsentabant, vt non cuiuis statim promptum esset conijcere, nisi cui rerum proprietates cuiusque animantis vis, ac natura cognita pœnitusque perspecta esset. & hoc scripturæ genus, non solum dignitatis, verum etiā voluptatis plurimum habet. modo (vt dixi) rerum cognitio adsit. quæ partim solerti rerum causarūq; naturalium contemplatione, partim liberalium disciplinarum cognitione contingit. Sed cùm in artes & suos professores omni exceptione maiores debaccharis, quid aliud facis quam quod isti obtrectatores, qui cùm neque industriam imitari, neque felicitatem aliorum assequi potuerunt, tenebriones vocant, carbonarios, & conuicia euomunt in eos, qui pulcherrimis sudoribus orbi prodesse sunt conati? cùm enim labores inconparabiles susceperint, propter incredibilem

negotij difficultatem, vt veritatem priorum confirmarent, obscuritatem illustrarent, & angustiam copiosa supellectile dilatarent, grata memoria eo nomine venerari merentur, quod suis inuentis atque monumentis nos ditauerint: siquidem nullis plus à nobis deberi censeo quam illis, qui ad hominum vitam non iucundiorem sed meliorem efficiendam omnia sua studia, omnesque cogitationes dicarunt atque contulerunt. & sanè permolestum est pro benigne collato beneficio nullam recipere gratiam. Et fortunata verè erant illa sæcula, quibus concessum erat, in difficilibus ac magnis dignum quippiam inuenire potuisse. nostram verò ætatem hanc quis non deplorabit? quando eorum quæ ab antiquis inuenta, & supra vulgarium ingeniorum captum, demonstrata fuerunt, plurimi ingenti quadam peruicacia omnia demoliri conantur. ideòque nec veterum parcunt authoritatibus, atque libros Chymicos suspectos habent, cæteraque antiquorum mysteria auersantur. neque Ethnicorum, neque Christianorum Philosophorum authoritate franguntur, vt Chymi-

am

am minimè cõtemnendam esse intelligant, sed fortuitum nescio quem euẽtum, inepto Libauico more assignent. Horum reuera authoritate factum esse puto, vt multa de secretis naturæ, à veteribus illis edita, intercepta perierint. Sed quid facias cùm res omnes præclaræ inuidiæ semper obnoxiæ fuerint. nam nulla virtus adeo excellens, aut tam laudata est, quin vituperatores suos inueniat. imò nec ipsa Sanctitas in hoc mundo à sceleratorum hominum conatu, fuit tuta: quin apud imperitos ac eos qui vulgo eruditi credebantur, mirò fastu aspernata fuerit. Hermetem Trismegistum varijs disciplinis splẽdidè instructum, meritò sic vocatum esse cõstat, quod apud Ægyptiòs maximus Philosophus, maximus Rex, maximus Sacerdos extiterit. mos enim erat Ægyptijs ex philosophis sacerdotes, ex sacerdotibus reges eligere. & non immeritò Hermetem sic nominatum putant, quod primus inter ethnicos ἒν τριάσι ἕνα θεολῖτα hoc est, in trinitate vnam diuinitatem asseruerit. vt admirandum sit, cum lumine intellectus eo peruenisse, quo miseri Iudęi etiam sacris initiati

teſtimonijs pertingere nequiuerint. Tu verò tanquã horum ignarus tenebrionem vocas; & mundi deceptorem. & cùm in Chymiæ operibus prorſus cæcutias, eiuſque potentiam vel non agnoſcas, aut ex rebus conditis nunquam obſeruaueris, fit vt mens tua aſſequi aut rationem inire nequeat, qui effici poſſit, vt vera ſint quæ ſcribit. quare non erat agyrta, vt iam patet, aut ſycophanta, qui tam nobili mentis impulſu, ſecretiora naturæ arcana ſcrutabatur. At Philoſophiæ naturalis, aſtrologiæ, & chabalæ peritiſſimus, & talium tenebrionum veſtigia ſi ſecutus fuiſſes, petulanti lingua non ita luſiſſes.

LIBAVIVS.

Semper fuit magiæ, Idolomaniæ, & ſimiliũ artium ſuſpecta Ægyptus, matri conſentit filia. Itaq; nullus erit chymicus. quin tergiuerſator ſit. Magus ſit, impoſtor, tenebrio, & falſa pro veris ſpecie religionis cum magno ſupercilio proponens, quales homines ſi nunquam euomuiſſet tartarus, à tartareis medicinis & inſidijs, viueremus immuniores. Perſuadent ſimplicibus ſe auri ſuccos, & quintas eſſentias apparare. Item & modum aperiunt nulli

Qui

Quis ſutor tã eſt extreme inuidus aut delirus? veritas gaudet propatulo, nec ſubterfugit peritorum iudicia. In publico opera ſua æſtimanda proponebat Apelles, nec diſsimulabat artem. Chymici cenſores ferre non poſſunt, artemq́ tam occultant, quam ſacra Eleuſinia. Si diſcipulum profitearis, oportet te ſilentium iurare, non aliter ac hi qui in improbiſsimorum nebulonum ſicariorumq́ admittũtur gregem. Cui bono nõ eſt illa res ſuſpecta fraudis? Sanctitas, maieſtas & bonitas non ita in anguſto ſe premunt, ſed agnoſci quærunt. Illi nullam aliam celandi cauſam habent, quam vt omnium rerum imperitiſsimi, vaniſsimiq́ cùm ſint, nihilominus neſcio quam ſapientiam & maieſtatem mereantur, quod ſtudium primitus fuit, omnis arrogantiæ & mendaciorum parentis mali genij, cuius naturam id ſapit, quod ab eo eſt progenitum aut informatũ. Et ne dicas me verbis te circumducere aut circumſcribere, cõſidera portentoſa ipſorum præconia. Eſſentijs & medicinis ſuis ſingulis ea aſſcribunt, quæ nec diuinis nec humanis literis vlli creaturæ aſsignata legas, & quæ ipſa refellit experientia. Aſſyluanus, quem noſti, ſuæ cinabari quid non tribuit? Quid vſpiam eſt blandimentorum, facilitatis, auxilij, quod non cum maxima nugacitate & precio

immenso vili abiectoque arrogat pulueri? Alius quidam oleo salis, per quod sit factum aurum potulentum, aut dissolutũ, incredibilẽ ad omnes morbos omnis ætatis, ad passiones omnes efficaciã assignat. Mentiri iam impudentur vir bonus erubescit. Putasne illos esse bonos? Obtunderem te, si tibi faciem disciplinæ paracelsicæ depingerem. Omnia monstra in vnum congesta cum summa audaia, temeritate, inscitia, impietate, vesaniaque audieres. Itaque desines tandem nimis admirari chymicos, nec facilè te credes arti fallaci. Hæc placuit tecum hac epistola differere. Si contexenda foret oratio Ciceroniano genio Philippicæ numero longè vincerentur. Tu tibi de impostoria chymia caue, & me monitore ab illa abstine. Vale.

RESPONSIO.

Magna est opinionum non modò varietas, verum etiã vanitas. vnde vtrunque rectè dicitur; regina vitæ & rerum omnium opinio est. atq; illud Simonidis δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν & veritatẽ artium, opinionũ præstigijs euerti. itaque ne falsitate implicemur primum ipsi elaborare debemus, vt verum atq; rectum toto animo sequamur. nam

opi-

opinio multorum eſt, at veritas paucorum. Si tu magiam cũ idolomania, ſacroſanctam Chymiam cum impoſtoria, arte confundis: facis pro tuo arbitrio, cui ſoli detrahendi facultas eſt nota, & de incognitis iudicare impudẽter præſumis. verùm nos primo magiam perfectiſſimam, conſumatamq́ue ſcientiam, tanquam altiorem ac ſanctiorem Philoſophiam, plurimi facimus. vtpotè quæ profundiſſimam rerum ſecretiſſimarum cõtemplationem, ac totius naturæ cognitionem complectatur. quia nos inſtruit quomodo res inter ſeſe differant, ac conueniant, vt ex mutua earum & opportuna applicatione, opera edamus ſupra omnem admirationis captum. nam Magia naturalis pura eſt, ſolida, ſtabilis, & licita, quæ principes maximè decet, ac ornat, ab eccleſia DEI nunquam prohibita, nec etiam iure prohibenda. quippè quæ puris naturæ principijs innititur, nullamq́ue ſuperſtitionem admittit. Et antiquitas Ægyptiorum Sacerdotes, tantoperè fuit admirata ſapientiæ nomine, (quam Magiam vel Sophiam Chaldæi & Perſæ vocabant) vt prȩſtantiſſimi Grȩcorum

philoſophi, *Pytagoras, Empedocles, Democritus*, eruditionis cauſa, ad eos peregrinati ſint. nã in magia excellebant, ac eandem diſcere volentibus cõmunicabant. cùm religione non impedirentur vt Iudæi, qui ſecretiores diſciplinas Gentilibus non circumciſis manifeſtare nefas eſſe ducebant. Eo factum vt quãuis vera ſcientia apud Iudæos eſſet, ex Ægypto tamen peteretur. non quod Ægyptij eſſent inuentores, vt multi fabulãtur, ſed quod illic à Iudæis accepta venalis proſtaret. nam foris nõ inſtituebatur iuuentus, ſed à parentibus diſciplinam ſucceſſione quadam hæreditaria propagatam, addiſcebant. qua perpetua cura facilis ſequebatur profectus, conſtanſque ratio, non varia & anceps qualis apud Græcos poſtea ſubſecuta eſt: vel quia non intellexerunt, vel quia poſteris inuiderunt. nec erant olim magi plebei ſortis homines, ſed apud Perſas, Æthiopes, Chaldeos; ac Iudæos, ex regia ſtirpe proceres, in ſecretioribus philoſophiæ & artis mathematicię arcanis educati, ſagaciſſimi rerum naturaliũ exploratores, ex quarum ſympathia, admiranda & vulgo incredibilia opera producebant.

bant. Hac arte siue magia Iacob instructus in picturandis ouibus vsus fuit. & Moises omni sapientia Ægyptionum imbutus, magorum Pharaonis prodigia diuinitus dissipauit & vicit. Hac tres illi magi, qui Christo saluatori nostro infanti obtulerunt munera, præclarè initiati, ex stella prius inter astrorum phenomena non visa, regem natum agnouerunt & adorauerũt. Itaque magus apud literatos viros non maleficum, non superstitiosum, non demoniacum sonat, sed sapientem, sed sacerdotem, sed prophetam. Et si quis monumẽta veterum, vt sunt Olympiodori, ac aliorum perscrutetur, ante omnia sæcula, apud Ægyptios magica & chymica mysteria viguisse intelliget, & à quibus tãquam vberrimo flumine omnis politior doctrina dimanauit. quæ postea in alias nationes translata, Cymerijs tenebris obscuratum fuit scientiæ lumen. nec mirum si Ægyptum Idolomamiæ suspectam facis, nam cum simirum instar Græci, alijs inuidentes (vt etiam nunc eorũ sequaces faciunt) in Ægyptum duce Iasone profecti essent, vt magiam addiscerent, hanc lucem ex biblico centro fulgentem nequaquam

quam ferre potuerunt: quo factum, vt à luce naturæ deflexerint ad fabularum & figmentorum ſuorum tenebras, quibus lumen hoc diuinum obſcurarunt in hunc vſque diem.ac veluti porci margaritas artium conculcarunt, ac in ſtultam ſuam philoſophiam contorſerunt. Vnde vanæ idololatriæ ac ſuperſtitiones deriuatè ſunt.quia igitur à Chaldæis, Perſis, & Ægyptijs, quicquid præclari in artibus eſt,habemus,ineptè Ægyptus à te criminatur. Et veritati parcis, dum Chymicum impoſterem vocas, ac conuiciorum plauſtris oneras.

Sanctam enim nec violare fidem nec fallere quẽquam
Ille potens. ſacri patitur medicaminis vſus.

Perſuadent Chymici, non ſimplicibus (quia capaces non ſunt) ſed doctis, ſe aurii ſuccos,& quintas eſſentias apparare.ſed non tales quales tu eſſe exiſtimas. modum quoque, ac viam illis aperiunt ita, vt indoctis aditum intercludant. Et quia, vt inquit ille, ἐν ἄλιθια αὐθάρκια doctorum non ſubterfugiunt iudicia: at in publicū ea proferre

planè

planè nefas eſſet. cùm plebs nihil celebret, niſi quod foris ſplendet, & fulgorem tantum externum intueatur, quę verò in abdito culta ornataque ſunt, damnat, quia de ijs iudicare non poteſt, vti de pictura Appellis: proinde eius cenſura nullius eſt momenti. Sed cùm ipſe Epiſtola ſecunda ſcribas, Chymiam omni ſemper honore, maieſtateque apud ſapientes excelluiſſe abundaſſeque, at non apud plebem, cuius iudicium ab omni ſapientiæ memoria ſemper infamè fuerit, quid nunc tibi in mentem venit in re tam ſeria, declamatoriè nugari? niſi hoc facere maluiſti potius quam oſtentandi ingenij tui occaſionem præterire. & ſic præter datam fidem remorari multorum ſtudia. non eſt manifeſtare arcana Chymicorum apprimè neceſſaria, recantare quæ in priori Epiſtola aſſeruiſti, ſed leuitatem oſtendere ac patefacere. no enim admittit ſolida doctrina eiuſmodi contradictiones. Ipſe fateris verborum inanitate ludere non eſſe niſi hominum flagitioſè ſcurrilium. quomodo hanc labem euitare poſſis, epiſtolæ tuæ nugarum ac mendaciorum plenæ manifeſtum faciunt.
men-

mendacium quoque eſt iactare ſua chymicum, quia non ambitione aut ſupercilio ducitur. non amat aularum magnificentiã, aut vulgo ſeſe oſtentare beatum. neque palàm quæ aſſecutus eſt, oſtendit, vt tuus Archimedes, nam quo quis eſt ſapientior & doctior, hoc minus inflatæ ſcientiæ titulo ſeipſum vendere affectat. imò abſolutũ opus abſcondit, nec miraculorum rationem exponens, gloriatur: neque operum teſtes requirit, aut comprobatores. quæ nouit ſub amica ſilentia fouet, ac ſcire diſſimulat. nec in eo imitatur medicorum turbam, qui quo ſunt indoctiores, eo magis docti videri ſtudent. Sufficit illi ſecundum neceſſitatem in vſus publicos promere, quæ Deus illi largiri eſt dignatus. & hoc eſt proprium artis, non palàm effutire, nec quoſlibet admittere, ſed pios ac ingenuos, non detractores, non helluones, non calumniatores, ſed qui ritè Deum ſtuduit ſibi adeſſe precando. Nam & tuus Plato (vt ſupra diximus) cauere iubet, ne quid ſapientiæ cõtractæ occultioris, ad aures hominum diſciplinæ ac eruditionis expertium perueniat. nec immeritò ſapientes qui callent

lent artem ſibi tacendum putant, & cõſortia procerum vitanda. cùm hoc tale ſit negociũ cuius actiones niſi circumſpectè fiant, nullo ferè vnquam priuato homini ſine detrimẽto fuerint. ipſoq́ue Iaſoni fuiſſe exitio, fertur. qui à propria coniuge, fortè quia incautius hoc myſteriũ tractaſſet, vna cum liberis funditus fuerit euerſus. vnde rectè Augurellus cecinit:

Illud ſæpè etiam imprimis iterumque monebo,
Ne ſi rara tibi contingat gratia cælo,
Nam aliundè ſibi nemo ſperauerit, vlli
Hanc vix inſinues caro fidove ſodali.
Nedum alijs referes, ea nec te noſcere iactes,
Quæ ſciueris, verùm ſecreto in pectore ſeruans,
Tecum habita, & tecũ tantũ ipſa arcana reuolue.
Nam ſuſpecta probis ars ipſa inuiſaq́ multis,
Inuiſos etiam cultores efficit artis.

Iam intelligis an ſapienti tale quippiam ſit effutiendum. vndè non mireris ſi diſcipuli præceptorum mores ſequantur. Si hoc eſt nebulonem agere, malo cũ illis nebulo eſſe, quam probus cum tui ſimilimis haberi. Sed (quæſo) quam fraudem ex chymico ſilentio contrahere potes? qui enim nihil dicit, decipere

cipere non poteſt. nam in multiloquio (vt dicit ille) non abeſt peccatum. quare vide ne ipſe eo vitio labores, quo alium accuſas. facilè eſt alios carpere, notas autē repræhenſionis euitare difficillimum opus. Nō eſt hypocrita chymicus, quia nec ſanctitatem, nec bonitatem iactat, & agnoſci non ambit. Si eſt imperitus, eius imperitiam oſtende. nam inania verba profundere non eſt aliquid docere. Tota tua epiſtola præter mendacia falſiſſima, & calumnias in homines ſordidos, ac deceptores nihil continet. non debebas ab ijs ſolis, totius calumniæ facere initium, nec nobiliſſimam artem ob quoſdam acolaſtos, impudenter & calumnioſè traducere. ſed tibi euenit quod de vulpecula narrari ſolet: dum illa eſuriens racemos de vite pēdentes, nulla arte poſſet apprehendere, infecta re diſcedens, immaturā vuam eſſe dicebat, acerbo guſtu, ac inſuauem. Sic tu cōtemnis, quæ hactenus aſſequi nequiuiſti: & ſi benè facere per alios non licet, vera tamen ſentire ac dicere ſemper licuit, & in hoc quoque negotio nobis vna cum multis doctiſſimis, ſapientiſſimiſq; licebit, nec verò tacenda aut diſ-

diſſimulāda veritas eſt propter maleuolorū hominum liuores. Sed dices te nō in Chymiam, ſed in pſeudochymicos ſtylum ſtrinxiſſe, concedo: ſed quæ te cauſa mouit, vt tam acerbè eos proſequereris, ac eorum memoriam perpetuares, quæ obliuioni tradere ſatius erat. Si dixeris tibi ab illis illatam iniuriam, reprehendendus es, quod tam oculatus, ac ſubtilis Philoſophus, non potueris eorum fallacias euitare: ſi verò non offenderunt, ſed lucellum quod te capere oportebat, interceperint, ex inuidia te ſcripſiſſe: nō meum, ſed aliorum erit iudiciū. videris ipſe tibi quippiam egregij contra Chymicos adduxiſſe, verū à multis ſtolida, inſulſa, ac puerilia iudicantur, omnia tua argumenta. Et omnes quibus priſcorum memoria clara eſt, qui rerum naturam indagantur, qui Chymiam veram & non ſophiſticam tuam exercent, quibus denique ſacra ſcriptura eſt cordi, inſurgere deberent, ad te tāquam doctorum omnium hoſtem, obruendum. Cur mentiris, nec diuinis, nec humanis literis, Chymicorum Medicinam eſſe traditam? cùm has reijcias, & in metalla diſtorqueas,
quia

quia non intelligis, illas an recipias incertum ſit. cùm tamen ſcriptura (cui refragari impiũ eſt) dicat: Deum creaſſe medicinam è terra. Diſce igitur primum quid ſit illa medicina, quam in hunc vſque diem ignoras, & tamen medici nomen tibi vſurpas. quaſi verò ſutor habeatur, qui ſuturã aptare nõ poteſt. Quid Aſſyluanus faciat ſuo cinabrio, nihil ad chymicum. Circumforanei plurimi hac noſtra tempeſtate exiſtunt, qui te ac multos alios in ſuo ſtudiorum genere longo interuallo ſuperant. Quid eiuſmodi homines oleo ſalis faciant, non laborat chymicus. Credo quod obtunderes multos, ſi faciem diſciplinæ Paracelſicæ depingeres. ah, quid depingeres, miſer, cùm ne colores agnoſcas! Non Paracelſo imputandũ eſt; ſi quid perperam fit ab ijs qui illius ſe profitentur ſectatores. Tu ab antiqua, veraq; medicina, Paracelſi veſaniã exulare iubes, ſed veram illam ac antiquam medicinam hactenus nunquam cognouiſti. negare enim nõ potes, eam quam profiteris, ab Hippocrate ſumpſiſſe originem, & cùm ipſe aliam antiquiorem agnouerit, quã ſolus Paracelſus ſepultam excitauit, qua fronte ac im-

impudentia eam quam exerces antiquam vocas? quod si plures asini hoc tempore Paracelsi pelle contecti, ad medicandum progrediuntur, non mirandum, neque enim omnes vulgari artis cognitione instructi sunt, qui Galeni nomine se cohonestant. conueniebat igitur de illo candidius sentire, qui immensas medicationi intulit commoditates. quis enim ex communi medicinæ methodo, prosperis successibus, mederi potuit epilepsiæ, paralysi, neruorum contractionibus, podagræ, & his similibus. quis tartaream sanguinis resolutionem (quam vos nunc renum exulcerationem, nunc vesicæ putredinem, nunc apostema renum, nunc vesicæ lapidem esse dicitis, quia videtis viscosa sanguinolenta, crassa, fœtida, cum vrina, non sine magno dolore excerni) vnquam curauit, nisi Paracelsi instructus arte. cuius beneficio talis morbus facillima via, breui tẽpore, absque vlla purgatione aut diuretica potione, curatur integrè. quis vnquam restituit diuturnos mulierum fluores, quos incurabiles esse dicitis, eo quod quo magis vestris

purgationibus malo nitimini occurrere tanto magis ingraueſcere videatis, & tanquam ſi Aceſias medicatus eſſet attoniti naturæ negotium permittitis. quod ſi relicta humorum purgatione ad tartari reductionem cum Paracelſo animum applicere velletis, nullo labore incurabilem morbum curari poſſe experientia rerum magiſtra doceret. referenda igitur gratia, in quo vitæ mortalium profuit. Sed benè facis, quod artem quã ignoras, vituperes. ne aliquid authoritati tuæ decidat, ſi quid nouæ eruditionis accedat, atque vtinam tantum laboris ſumpſiſſes in intelligendo Paracelſum, quantum in detrectando cum Erraſto ſtudium poſuiſti. Publicè certè ita peccaſti, vt in perniciem multorum natus eſſe videaris. Et quamuis in tua hac Epiſtola, diſputationis prætextu, vigeat eloquentia, regnet ambitio, ac ferueat contentionis ſtudium, tamen manifeſtè oſtendis, tibi nihil magis propoſitum fuiſſe, quam oſtentationem ingenij, & gloriæ cupiditatem. ſed non ſic itur ad aſtra. verùm ne dicas nos verbis agere, quid Chymicus ſit, audi.

poſtea

poſtea, quæ ars Chymiæ ſit, Hermetis filijs explicabimus: nebulones, carbonarios, ſcurras, quos ſuis coloribus ſub Chymiſtorum falſo nomine ornaſti, tibi ac tuis relinquimus. His Vale, etſi reſpondere tibi gliſcit animus, iam noſti mecum tuorum philoſophorũ authoritate, non eſſe certandum, cùm ea in hoc certaminis genere, tanti fiat apud me, quãti tua hoc ſcripto manifeſtaui. & frigidum argumentum eſt cum antiquitate errores excuſare.







De vera Medicina.



OCRATES apud Platonē imperat, vt, cùm de aliqua re ſermo habetur, primo conſtituatur quid ſit illud de quo quęritur, quo magis rei intētio innoteſcat, ad cuius imitationem, tractaturi de Medicina chymica, dicemus primo quid illa ſit, ne vocabuli amphibologia, lectoris animum perplexum teneat. Nō ignotum eſt ijs, qui in medicorum libris verſati ſunt, tam à veteribus, quam recentioribus, varias medicinę & definitiones, & deſcriptiones, ad nauſeam vſque eſſe traditas. quas etſi non reijciamus, ſi de ſcientia, aut arte intelligas, tamen non recipiendas exiſtimamus, ſi ad eam de qua nunc agitur referre velis. neque enim noſtram hanc medicinam, ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorū, eſſe dicimus, ſed ſanitatis verùm ac vnicum inſtrumentum, quo ea cōſeruari,

ac amiſſa reſtitui poteſt, quicquid enim præſeruat & curat, & medicina eſt, & ſic meritò vocari debet: vnde ille verè Medicus & chymicus vocari merebitur, qui inſtrumentũ illud ita aptare nouerit, vt edendis actionibus à natura illi cõceſſis ſit idoneũ, ex quo apparet eos qui extra Chymici officiũ verſantur, chymicorũ tamẽ nomine tanquã alieno pallio ſe ornant, ac profeſſionẽ alienam ſibi vendicant, nõ chymicos eſſe vocãdos ſed carbonarios, ſtibiarios, arſenicarios, vitriolarios, in ſumma vanorũ cerebrorũ, ac fumorum ſpargiros, ac diſtillatores, ita vt pro varietate materiæ circa quã verſantur varia quoq; nomina ſortiantur. Et quãuis triplici inſtrumento vulgaris medicinæ ſciẽtia vtatur (vt ſuo loco dicetur) tamẽ nos vnicum tantũ, à veteribus ob maximã eius facultatis præſtantiã decantatũ, ac celebratũ ſolum recipimus atq; amplectimur. De hoc inſtrumẽto, vel vt melius dicam medicina, qualis ſit, & quomodo præparari debeat, hoc ſcripto tractare nobis animus eſt. quã non tantum nouerunt vniuerſi illi orbis ſapientes, diligẽtiſſimi rerũ indagatores, ſed ſummi etiam ac potentiſſimi reges.

qua-

quales fuerũt *Sabor & Ginges, Medorũ* reges. *Salid* rex *Arabũ*, *Geber*, *Calid*, *Hermes Trismegistus*, & alij: quorũ nomina ne longior videar quã par sit, libenter prętereo. Hi enim rati in antiquissima hac arte, summũ splendorẽ, singularẽq; prętantiã esse, tantũ ocij ad eã ꝑcipiendã, & illustrandã cõtulerũt, vt eorũ plerique monumẽta nobis reliquerint, mortaliũ vitæ, vsuiq; sũmè necessaria. nomenq; nullis nõ sęculis celebre duraturũ reliquerũt. Et si res quę dignitatẽ, iucũditatẽ, vtilitatẽ, laudẽ & gloriã ꝓmittere solent hominib. ęstimationis suæ põdus, ab antiquitate potissimũ trahunt, quo numero hanc habere debeamus medicinã, quę cũ ipso homine è terra emersit, quilibet facilè iudicare potest. nulli enim dubiũ est, quim omnes fatebũtur, hanc præparãdæ medicinæ artẽ, antiquitate, nobilitate & diuinitate, cęteras antecellere. nã si eius authores inuestiges, nullos neq; antiquiores neq; maioris apud omnes gẽtes authoritatis, & glorię extitisse reperies. vtpotè quę pijs illis *Hæbreis*, qui spiritu Dei fuerũt illuminati, syncere reuelata, ad *Ægyptios*, eosq; solũ qui probi fuerũt, ꝑuenerit, ac aureo sęculo floru

Si vtilitatem respicias, nullam humano generi meliorem, nullam salubriorẽ inuenies, quia sanitatem, qua nihil homini optabilius esse potest tuetur: varia, innumeraq́; morborum genera fugat, ferarum virus euincit, venenorum lethalium vim demolitur, quin & homines sæpè deploratos, ad vitam reuocat. Si verò dignitatem perpendas, nostri illi prisci doctissimi viri ac prudentissimi, tanta commendatione hominum extiterunt, vt ob eorum artem, publicamq́; vtilitatẽ, propter ingentia & singularia vbique diffusa erga genus humanum merita, inter deos à gẽtilibus sint relati. Si verò vetustatẽ requiras, nullam ea antiquiorem reperies, vtpotè cuius originem à Deo profectam esse scimus, quod & ethnici fateri coguntur, dum in memoriam reuocabunt, quomodo olim apud Iudæos, deinde Ægyptios, primum sublimitatis fastigium vno omnium veterum iudicio tenuerit. & à priscis illis sapiẽtibus ac sacerdotibus summa semper veneratione habita fuerit. quæ etsi senescente mundo, non modo suspecta & odiosa facta, sed etiam à multis explosa fuerit, radices tamen reliquit

penes

penes eos, quos Deus tanto munere eſt dignatus. De huius origine multa & varia tum poëtæ, tum alij infideles fabulantur, vtpotè de Iſide, Oro, Apolline, Æſculapio, Chyrone, Podalyrio, Machaone, quos rudis antiquitas, tanquam inuentores medicinæ, hoc eſt huius præcipuè artis de qua nunc agitur, in cœlum non ſolum laudibus ſuſtulit, ſed etiam deorum nominibus decorauit. Nam Apim Ægyptiorum regem, quem primum tanti boni inuentorem fuiſſe ſunt arbitrati, ob præclariſſimum iſtud inuentum, tantis honoribus cumulauit, vt eum pro Deo habuerit & coluerit Ægyptus. Sic Appollo, ac eius filius Æſculapius, medicorum dei ſunt appellati. quod gratæ reſpublicæ, tantæ facultatis excellentiam, à nemine excogitari, inueniriq́ue poſſe putantes, præter quam à dijs immortalibus, pro ſummis beneficijs, ijs viris eum honorem exhibere voluerũt, quo maior eſſe in rebus humanis nõ poterat. Sed his fabulis poëtarum, ac nugis Ægyptiorum ſemotis, quorum ſtultitia tanta fuit, vt nõ ſolum homines, ſed monſtra pro dijs colerent, nobis altius aſſurgendum eſt. noſque hac de
re

re ex ſacris literis multo certius diiudicáre poſſumus. nam Medicinam, ac Medicum, Deũ opt.max. creaſſe, ac velle propter hanc illum eſſe honorandum: ſi quis in dubium reuocaret, legat quæ Eccleſiaſticus in ſacris biblijs nobis memoriæ reliquit. Affice (in-
" quit) medicũ honoribus ſuis, propter neceſ-
" ſitatem Dominus eum creauit, nam medici-
" na manat ab altiſſimo. & à rege munus acci-
" piet. ſciẽtia medici extollit caput eius, & mo-
" uet admirationẽ proceribus. Altiſſimus me-
" dicinam è terra creauit, nec abhorrebit illam
" vir ſapiẽs. ipſe ſanat per hanc, tollitq; dolorẽ
" hominis. ex quibus omnibus abũdè ſatis apparet, ab initio cœlitus reuelatã fuiſſe, in cõmune mortalium auxilium, propter naturæ noſtrę imbecillitatẽ, vt ab impendẽtibus nobis neceſſario malis tuti, creatoris incredibilem clementiã extolleremus. *H*anc autẽ verã fuiſſe & non falſam, certã ac non fallacẽ, ſynceram ac nõ fucatam, nullus mortalium dubitare poteſt. cum à vero Deo veritatis fonte, ac omnium honorum largitore ſit profecta. Ab Adamo in ſuam propaginem deriuatam fuiſſe veriſimile eſt. Eo quod vnus hic
pri-

primus omnium artes, omnes atque notiones obtinuit à Domino Deo creatore ſuo. vt hinc conijcere liceat, Deum opt. maxim. plãtarum, & cæterarũ rerum omnium, quas terra procreat, & alit, facultates Adæ primo humani generis propagatori indicaſſe. eiq; illarum cognitionem infudiſſe, ſimulatque illi è limo terræ conformato, vitæ lumen inſpirauit. nam in Geneſi ſcribitur, hominem conditum ad imaginem Dei, omnibus animalibus ad ſe à DEO adductis, ſua nomina tribuiſſe. &, vt dominaretur volucribus cœli, piſcibus maris, cæteriſque terræ animalibus, illi iniunctum fuiſſe. vobis (inquit ſcriptura) tradidi omnes herbas, quæ in omni terræ ſolo frugiferæ ſunt, omneſque fructifero fœtu præditas arbores, ſemenque parientes, vt ſint vobis in eſcam. Quæ verba, ſine dubio, teſtantur non tantum excellentem in hominis mente lucem à Deo fuiſſe, verum etiam perfectam, omnibuſque numeris abſolutam omnium rerum cognitionem. nam qui rem vnamquamque, ſuo nomine appellare poteſt, eius vim, & naturam, penitus perſpectam, vt habeat, neceſſum eſt.

Ex illa autem rerum non externa tantum, ſed penitiſſima cognitione, medicina deſcẽdit, quam cœleſtis ille rerum omniũ parens Deus, ſecundum ineffabilem ſuam prouidentiam mortalibus dedit. nam cùm hominem ab initio creatum æternæ vitæ deſtinaſſet, ſciretque optimè quot, quantiſque ſubijci debebat malis, quibus tollendis & mulcẽdis medicina opus eſſet, nõ ſatis illi fuit, corpus hoc ſenſibus, ac membris aptum, ex nihilo creaſſe, niſi & eas inſuper dotes illi adderet, quibus corpus caducum conſeruare poſſet. Cœterum, ſi in ſtatu integritatis homo manſiſſet, de tota re medica, aliquid literis mandare omnino opus nõ fuiſſet: quia præclara illa lux, primis noſtris parentibus inſita, ad poſteros propagata fuiſſet. Et quiſque per ſe etiam ſine magiſtro, luce rationis, omnia ſciuiſſet. verùm lapſum primorum parentũ, & violationem mandati diuini, hæc mala ſecuta ſunt, vt non ſolum tota poſteritas calamitatibus fuerit obnoxia, ſed præclara illa lux tenebris obducta. In Adamo tamen non extinctum fuiſſe omnino naturæ lumen, inde apparet, quod eius ſucceſſores, myſteriũ hoc

hoc aſſecuti, vt futuris ſæculis prouiderent, duas lapideas tabulas erexerint, quibus omnes artes naturales vna cũ hoc myſterio inſculpſerant. Sed quia occultis figuris, ænigmaticis, hieroglyphicis characteribus, ita adumbrauerant, factum vt vix humanis laboribus, ſed diuino potius afflatu, cõſequi poſteri potuerint. vndè non mirum ſi arcanum hoc diu tenebris obſcuratum latuerit. cùm Deus non admodum multos, ob fœda peccata, tantis rebus dignos iudicet. Quæ cùm ita ſint, meritò nunc mentes humanæ intuẽtes pręſentem turbatum, ac miſerabilem medicinæ ſtatum, fluctuant ac ambigunt, ſit ne quæ hodie exercetur medicina, illa, quã Adamus à creatore ſuo obtinuit, & reliqui patres hæreditario iure à parentibus acceperint. etenim minimè dubium eſt, priſcos illos patres, qui ad quingẽteſimum annum ac vlterius vitæ ſuæ terminum prorogarunt, aliqua vſos medicina cœlitus reuelata, per quam tam longo tempore, abſque infirmitate, vitam producerent. ſiquidem legimus apud veteres, in hunc modũ, artem ipſam diuinis auſpicijs ceptam, ſucceſſione quadam hære-

hæreditaria, à parentibus propagatam, semper in liberos peruenisse. quia cautum erat illo sæculo, nequis artem & industriam medendi, à Deo solis ipsis concessam, cuipiam cõmunem faceret, qui ab eodem nõ esset genere exortus. hoc etsi aliquandiu fuerit obseruatum, tamẽ successu tẽporis, labente memoria, ad eos ꝑuenit, quibus natura & mens ob diuersam genituram ad cõtraria inclinabat. sic doctrina hæc ad profanos translata, in hanc peruenit tam multiplicem varietatem, ita vt plurimum antiqui splendoris amiserit. nam si ex nostro hoc cæco tẽpore, cõiecturã facere velimus de superioribus sæculis, haud dubiè inueniemus nõ solum monumẽta illius generis contempta fuisse apud plurimos, verum etiã authores ac professores digito (vt aiunt) mõstratos. id iustè ne an iniuria cõtigerit, iudicent ij, quorum mens sana, in corpore sano desiderat esse magis quam videri. Et hinc illæ lachrimę, & hæc pestis mortaliũ. ingenia multorum ita comparata esse, vt φιλοδοξία irretita, malint videri quam esse docti, & qui cũ alijs eruditionis honorẽ (qui calcar virtutis est) inuideãt, aliorum obtrecta

tione

tione,erudionis famã aucupãtur. quid enim magis cõtrarium quã ꝑfectionis gradum,ad quẽ omnes medici collimare deberẽt cõtemnere, nam cum ingens pelagus ſit medicina vulgars ac meritò ꝓ temerario habeatur,qui ipſam vniuersã tenere ſe autumat, cõtra qui hanc nouit breui ac ſuccincta via omniũ remediorum vires poſſedeat, nõne meritò repræhendẽdi erunt qui nõ ſolum eam addiſcere nolunt, ſed qua poſſunt loquacitate extirpare conãtur, ac ne crepitu quidẽ digiti dignam cẽſeant. Cõtrouertitur itaq; nõ immeritò de medicina qualis illa & cuiuſmodi fuerit. Qui verò medicinã ꝓfitentur,quæ ex *Gal.* cerebro,hominis in Moſen & in Chriſtũ ideoq; in Deum ipſum blaſphemũ,radices egit, ridere ſolent eiuſmodi cõtrouerſias. nec admittunt aliã præter eã quæ in illorum officina eſt fabricata. Qui verò eã exercent quæ fundata eſt in Dei cognitione citra hæſitantiam, etiam nunc indubitatam conſiſtere arbitrantur. quæ etſi aliorum palato non arrideat, non tamen à veritatis limine abhorret. & reuera mirandum eſt plurimos ætatis noſtræ ſummos & clariſſimos Medicos,

natu-

naturæ indagatores acerrimos, qui cum in materia medica cognoſcenda & amplianda plurimum nauarunt operę & laboris, interea tamen vniuerſalis huius medicinæ magni in primis & nũquam ſatis laudati remedij mentionem nullam fecerint. quam tamen adeò commendarunt nobis ex veteribus quidam, vt cæteris eam omnibus medicamentis facilè prætulerint. quippè quia vires, vt vt illæ langueant, reſtituantur in tantum, vt reuiuiſcere videantur: deinde nemo citius, nemo celerius, nemo expeditius, nemo felicius infirmitates curabit, quam qui hac medicina inſtructus morbos adorietur. ſed è diuerſo, qui hactenus de re medica ſcripſerunt, intacta illa veteri, medicinam eſſe artem, ad ſanitatem humani corporis cõſeruandam, morboſque abigendos, debitè omnia adminiſtrantem, dixerunt. quæ partim materia medica, partim victus ratione, partim Chyrurgia, compleretur. materiam medicam, medicinarumque facultates, Galenũ, Dioſcoridem, Plinium, Theophraſtum, Serapionẽ, ac alios complures, in claſſes conſtituiſſe, nimirum herbas, animalia, vegetabilia, & minera-

neralia, ex quibus remedia eruere possent. horumque notitia, digniores ac præstantiores medicos à reliquis distingui voluerunt. verùm quia tota hæc medendi ars, nullo alio fundamento: quam fallacibus experimentis, superextructa est, ac tenui ægrotantium credulitate roborata, in qua etiam pleraque incerta, multa latentia, nec satis perspecta, quæ coniectura quadam artificiali magis, quam ratione assequi datur, coëgit doctiores, duplicem medicinam fateri. vnam sanctam, & integram, quam à Deo profectã dicunt. Alteram spuriam, corruptam, à priori degenerem, & à Diabolo ortam. qui cum sit subdolus impostor, ac humanæ naturæ iuratus hostis, specie veri nos ludens, perpetuoq; struens insidias, nunquam triticum crescere permittit quin lolium antea suum interserat, ac intromisceat. inde factum vt medicina à priori puro, syncero, veroque naturæ spiritu, in malignum, & à verò naturæ lumine, in tenebras degenerare ceperit. Et quemadmodum priorem, ab Adamo, ad Iudæos, & Ægyptios, ac reliquos posteros, peruenisse dicimus, ita aliam mortalium diabolica ambi-

tione,in plures hæreſes diuiſam.quo factum videmus, vt nobiliſſima illa ars obſcurata tenebris, erroreque obducta, ad noſtrã vſque ætatem manauerit, quæ ita aucta atque firmata fuit à noſtris anteceſſoribus, vt tanquam Sybillina oracula fuerit amplexa. adeoque hic error radices egit, vt indignum exiſtimetur, de eorũ axiomatibus aliter quã ipſis placuerit, iudicare. cùm fieri minimè poſſe putent, vt firmius quid, aut verius, eorum opinionibus inueniatur. hinc fit vt quẽadmodum prior medicina medicum honoratum, ita nunc alia inglorium viuere faciat. Huius cauſam ſpeculatus, meo iudicio, non aliam reperio, niſi quod fatali quadam temporum hominumque deprauatione, ſubintroierunt archiſophiſtæ, ac mentito nomine medici. qui per varias eorũ ſectas, artem laudatiſſimam & conſpurcarunt & extinxerunt. nam ſi tẽporum annales memoria repetere voluerimus, reperiemus artes cùm liberales tum mechanicas, in vniuerſo terrarũ orbe mirabiliter natas, ſuo tempore creuiſſe, ac floruiſſe, poſtea iterum collapſas, decreuiſſe & non aliter atque animalia ac plantas ſua

ha-

habuiſſe tempora, eodem planè modo non ſolùm hominum ſtudia, vna cum ætatibus, miras ſenſerunt mutationes, ſed & florentiſſimæ etiam reſpublicę, funditus euerſæ fuerunt. aliæ viciſſim exiguis principijs, ad ſumma peruenerunt faſtigia. ſic legimus regum Paleſtinā, olim fertiliſſimam fuiſſe, nūc autem barbarie oppreſſam, deſertā, ac ſenio confectam iacere. nam ſi labentibus ſeculis ars ipſa conſeruata fuiſſet, nec tam fœde à Iudæis, Græcis, Barbaris, & Latinis, fuiſſet contaminata, non his vltimis mundi temporibus, nouo opus fuiſſet Appolline, ſed ſi Chriſtum in carne patefactum, miraculorum teſtimonijs confirmatum, non agnouerunt, non mirum ſi in ipſis medicinæ principijs errauerint, ac præcipuam eius partem incognitam nobis reliquerint. Quod tibi ne mirum valeat quandoq; videri, memoria tātum repetas, quomodo à condito mūdo, per peccatū primi parentis, velata fuerint omnia intrauitque obliuio mater ignorantiæ. quomodo Satan infeſtus ſalutis humanæ aduerſarius, ob ſuperbię faſtum, cū ſua cohorte deiectus, purā Dei inuocationē adulterauerit;

vt ab vno vero Deo miſeros mortales ad idololatriam, & creaturas inuocandas traduxerit, ac in præpoſtero ac vario Dei cultu fatigauerit, nec non ſuis oraculis & diuinationibus ac ſceleratis ſacrificijs hominum mentes perſtrinxerit. Deinde quomodo Iudæi vna Dei regula, ac inſtitutis ab eo ceremonijs, non contenti (quæ ſigna erant ac veluti σφραγῖδες promiſſæ gratiæ, vt veluti typi memoriam futuræ victimæ conſeruarent) poſt ſua commenta abrepti, alienos cultus ſibi fixerint. & dũ exercitia illa ſpiritualis cultus eſſent, pro craſſo ſuo ingenio nihil niſi terrenum & carnale apprehẽderunt. hoc eſt pro corpore ipſo vmbram & carnem pro ſpiritu ſunt ſecuti. inde factum vt pij, nihil niſi ex Dei verbo ſuſceperint, alij autẽ quicquid libitum eſſet, licitum eſſe putarent. atque ita ſuum arbitrium pro lege habuerint. quum Deus nihil probet niſi quod ipſe præſcripſerit. Et niſi ille qui ſanat omnes lãguores, pro ſua incredibili miſericordia, hiſce noſtris tẽporibus, in priſtinum ſtatum omnia reſtituiſſet, actum fuiſſe de mortaliũ ſalute, omnes, facilè intelligunt. Atque hæc quidem ſi in

ea doctrina, quam Dei nutu atque ſpiritus ſancti afflatu regi conſtat, euenerunt. quid mirum, ſi alias quoque diſciplinas conſpurcari contigerit, ac cum omnium ſalutis pernicie ars medicinæ præcipuum ac nobiliſſimum Dei donum exoleuerit. nam cùm ad vanitatem, & errores ſpontè inclinet humanum ingenium, vbi nos circumſtant peruerſa commenta, adulterinæ doctrinæ, & ſimiles aliæ peſtes, nihil procliuius eſt quam deficere à vera & natiua doctrina: & quamuis vagatus ſit mundus ſine ratione, & iudicio, nō propterea minoris eſſe debet Dei veritas. Nam cùm æterna ſit, nec mutetur, minimè æquum eſt longam annorum præſcriptionē illi opponi. nihilo etiā plus patrocinij in hominū numero eſſe debet. nec eſt quod nos à recta via impediat totius mundi cōſpiratio. inualuit enim omnibus populis cæcitas. At Deus nunc nobis illucet, aperiendi igitur oculi, neque in tenebris torpendum, etiam ſi in illis hactenus maior pars mundi fuerit demerſa. accidit enim aliquando vt artes in obliuionem tranſeant, vel patiantur detrimentum, non propterea finem habent, in ſe ipſis,

at ſolum reſpectu hominum, quibus in obliuionem abierunt, ab iſtis recedentes ad ſuum fontem perpetuum. à quo rurſum ad hos vel alios, ſuo tempore poſſunt refluere, dum vult qui velle poſſe ſolus habet. itaque vt ad inſtitutum redeamus: propter noſtra peccata, medicinam à priori illa pura, ac ſyncera, defeciſſe, & in hanc diſputatricem, quã nugis, rixis, controuerſijs, imaginarijs principijs, defœdatam conſpicimus, migraſſe extra controuerſiam erit, ſi vtriuſque naturam & reſtaurationis modum conſiderauerimus. Illa enim cum præclarum DEI donum ſit, certa, firma, efficax, vt verè ſuo nomini reſpõdeat. hæc è cõtra obſcura. incerta, dubia, rixationum plena, nullius efficacie, adeo vt nulla artium, tot erroribus ſit referta, nõ dubium, eam quæ nunc exercetur longo interuallo à priori dignitate & virtute deflexiſſe. quã Deus ſempiterna lux hac tempeſtate reſtaurauit, quia ipſi diſplicent hominis terreni figmẽta ſua autem bona, quę ſunt certa ac ſancta amat, ac ſuo tempore manifeſtari cupit. nã vt primis hominibus, qui naturaliter viuebant, maximam naturę cognitionẽ cum lon-

longa vita eſt largitus, ita poſtea ſeneſcente mundo, & peccato nimium paulatim creſcente, vſqueadeò, ignorantia ſucceſſit ſcientiæ, tenebræ luci, vt Dominus non ſolũ homines morbis affligeret, ſed etiam diluuio omnes præter admodum paucos, perderet. cum quibus prima & præclara ſcientia naturæ maxima ex parte interijt. Ab ijs tamen, quos ad inſtaurandum genus humanum ſupereſſe voluerat, duas lapideas tabulas, poſt diluuium inuentas fuiſſe, in quibus totius naturalis ſcientiæ ac veteris medicinæ veſtigia reſtabant, Hermes, cui inuentio adſcribitur, teſtatum ſua tabula ſmaragdina reliquit. nec dubium, quin apud Ægyptios longo tempore omnibus palàm extiterint. verùm, quia nec aſſequi omnes facilè potuerũt, nec à Noë aut alijs rectè dedicerant, effectum eſt vt medicina paulatim extingui ceperit, & in eas tandem tenebras deducta ſit, quibus eam inuolutam hodiè cernimus. His adde, quod poſt diluuium, eum linguis variantibus genus humanum dilaberetur, & diuerſas ſedes, regioneſque peteret, hæc ſcientia in impia poſteritate valde immuta eſt,

manſitque præcipuè in vera eccleſia. quæ cùm in Ægypto peregrinaretur, ac medicinam faceret, gens Ægyptia ingenioſa, & ſtudioſa doctrinarum, cupidè hanc doctrinam amplexa eſt. & vicinæ gentes, vtilitate rei adductæ, certatim in hac facultate excolenda elaborarunt. verùm ſucceſſu temporis, graſſantibus bellis, ac hominũ malitia, nõ omnibus, ſed admodum paucis datum fuit adire: (vt prouerbio dicitur) Corinthum. ſic deſtituti vera arte, & morbis in genus humanum ſeuientibus, ad obſeruationes confugerunt. vt ea quæ ſalubria aut inſalubria viſa eſſent, probè notarent. Et ne ſalutaria in arte medendi præcepta, & medicamenta ab ipſis reperta obliterarentur, ea tẽplorum columnis inſculpſerant, ac vt medicina inuentis hominum multiplicarètur, piaculum erat, ęgrotos de more gẽtis in publicum ſtratum delatos, præterire, niſi quis prius, quibus ipſe pharmacis, ſimili correptus morbo ſanitatẽ recuperaſſet, decumbentẽ in lectica ægrotum erudijſſet. Q̃uæ ne ab ignobili agyrtarum vulgo profanarentur, dijs dicata in templo recondita ſeruabãtur. hoc ordine tantum ſucceſſu tem-

temporis efficere, vt artem quãdam colligerent, quam Hippoctates, vt ſupra dictum eſt, primum in ordinem redegit: relicta fortaſſis alia, propter rei difficultatem. quam tamen procul cognouiſſe veriſimile eſt. cùm inter cætera præclara, quæ poſteritati reliquit librum de veteri medicina cõſcripſerit. quam etiam alijs fundamentis & principijs fultam eſſe, docuit. ex quo patet diuerſam illam fuiſſe ab ea quã ille profitebatur. Fatetur quidem medicinam omnium artium præclariſſimam eſſe, ſed propter ignorantiam eorum qui eam exercent, & ob vulgi ruditatẽ, iſtos medicos iudicans, eo deueniſſe, vt cunctarũ artium longè viliſſima cenſeatur. neque negat artem quam profitebatur eſſe longam, & difficilem, ac experimento fallacem. Ex quibus facilè colligere datur, medicinam ante Hippocratem maiore in honore quam eius tempore erat, & multo celebriorem fuiſſe. cùm eius tempore in ea explicanda atq; tractanda non eandem omnes viam ſequerentur, quà ad id, quod vellent, peruenirent. nã alij pharmaca ab herbis, vel ſtirpibus, alij ab oraculis, & ſomniis petita, alij ex animalibus obſer-

obſeruata ad varios ſanandos morbos accō-modata, tāquam empyricam ſibi propoſue-runt. vnde luce meridiana clarius apparet, priorē exoleuiſſe, eamq́ue quę nunc in vſu eſt, vtpotè ab Hippocratis doctrina deriuatā non eam eſſe quā diuinitus datam ſacra ſcri-ptura teſtatū reliquit. Impiū enim eſſet, cre-dere Deum ſolum veritatis authorē, mancā & mutilam medicinā nobis tradidiſſe, cùm ars firmiore ſede reſideat, ſancta ſit, firma, & certiſſima, effectuſq; ipſam probet. Et ſi me-dicina (quo ad inſtrumenta dico) hactenus vulgaris, & multis libris ꝓmulgata, foret ve-ra, doctiſſimi eius artis eſſent quoq; præſtan-tiſſimi in morbis curādis. quod falſum eſſe, lippis & tonſoribus notū eſt. Etenim quoti-diana experiētia, non omnes morbos, quan-tumuis ſanabiles, vulgari medicina ſanari vi-demus. id inſcitia medicorum fiat, neceſſum eſt, quorū pauciſſimi conſumatū artis habi-tum ſunt adepti. nā vt taceam de artis incer-titudine, conſideremus tantum materiā me-dicam, qua veluti inſtrumēto quodam vtun-tur ad amiſſam ſanitatē recuperandam. Quis ꝓprietates illas indiuiduales (vt vocant) pene

per-

perſpectas habet? ac ſi quid generatim tũ de naturis hominũ, tum de pharmacis præcipitur, quis eſt tã felici ingenio, atque exquiſito iudicio præditus, vt illa rectè & ad amuſſim inter ſe aptare atq; accõmodare queat? ſed perpendat quiſque num preceptis experientia reſpondeat, deinde ferat iudicium. profectò res turpis eſt tanta cõſcribere volumina, & viam alijs indicare, quæ adeò eſt fallax, vt ſæpe mulieres medicos vincãt in morbis curandis. non enim medicus contingenter ſed neceſſerario curare debet, niſi diuinũ quid obſtet. Hec cùm ita ſe haberent, mirabar admodũ, neq; minus etiam indignabar, neminem hactenus extitiſſe, qui tam ſublimẽ, ſacramque artem, ab agyrtarum fallacijs vindicaret, ac illã nobis purè & ſyncerè traderet. & cùm diligentius animaduerterẽ, ſæpè mecum retractans quã turpi ſæculorũ conſenſu ea deſerta exoleſceret, cepi apud me (qui ab ineunte ætate in naturæ myſterijs rimandis curioſus fui explorator) cogitare ac conſiliũ inire, quanã via illi pro mea tenuitate ſuccurrerem. in quã cogitationẽ cùm diu, multũq; incubuiſsẽ, & ferè ſuccubuiſſem, tandem in ani-

animum induxi meum, fiere posse vt compendio aliquo, pręcipuum veteris medicinæ secretum, libello aliquo ita cōcluderetur, vt absque philosophorum legum violatione legentibus lucem aliquam adferre possit. itaque certam veterum omnium sapientũ medicinã, ab æterno promanantem; suis rationibus adornatam, ab iniuria calumniatorum quantum potui vendicare prius volui, antequam rem aggrederer. ad quam vt tandem veniamus. dicimus nullum veræ Christiani ignorare, primam morborum omnium originem, homini contigisse, per recessum eius à Deo, dum per inobedientiam, perfectionis veste se spoliauit. prius enim medicina quapiam non indiguit, quam in morbum hunc omnium genus morborum primum incidisset, omni sanitate primus. quare spiritu & corpore male sanus, quod mox à lapsu in interitum tenderet, & in vtramque mortẽ exitum faceret, duplici vt seruaretur remedio fuit opus, misericordia videlicet Dei, ac medicina. hæc vt corpus caducum præseruaret, illa vt peccati pœnam mitigaret ac auerteret. Vnde quemadmodum Christus, verus Dei

Dei filius, nos redemit ab æternis morbis & morte,ſic corporis morbos medicina diuinitus data, curare,ac corpus ſanum conſeruare debet, quouſque tempus diſſolutionis veniat. quod certè fieri non poteſt abſque cœleſti illa, quam Deus ſortis humanæ miſertus Adamo tradidit: nã vt æternitas pœnas mitigauit,imò abſtulit homini,oſtẽſo remedio per filium, ita multo magis dedit quod minus erat, nempè medicinam corporis malis, ſicut & reliqua dedit ad vitæ vſum neceſſaria. eſſeq́ue dicimus eam, quæ ab Hermete Triſmegiſto,nobis in tabula ſmaragdina, fuit poſt diluuium propoſita.in qua docet medicinam è terra creatam,vnam numero eſſe, quæ reliquas præſtantia virtute & dignitate antecellat.eamq́ue ab vno, meditatione vnius productam.quod cùm ſacra ſcriptura cõuenire omnibus,planum eſt. Vnde manifeſtè apparet,quod ſupra diximus,medicinam in ſacra ſcriptura eſſe ſanitatis inſtrumẽtum potius,quam ſcientiam ſanorum,ægrorum, & neutrorum. Et quamuis ea cognitio medico & iucunda, & neceſſaria ſit, ac eo medicinę nomine nunc triũphet hoc ſæculum,

tamen docti homines, sanoq; iudicio præditi, & res ipsas (vt fieri solet) paulò accuratius expẽdentes, haud obscurè animaduertẽt, eã significationem cum sacra scriptura minimè cõgruere. quia Deus sciẽtiam sanorũ, ægrorum ac neutrorũ, non è terra creauit. cũ virtutes rerũ influentiæ diuinæ sint, nec creatas esse cõstet. dicitur enim Altissimum medicinam è terra creasse, sed scientiam dedisse hominibus. nõ igitur subscribimus illorũ inscitiæ, inter quos est nepos Iesu filij Sirach, qui ex Hębraico sermone pharmaca exterra creata esse Græcè transtulit. nam cùm videret esse absurdum medicinam è terra creatã dicere, pharmaca siue medicamenta, medicinę loco substituere voluit. non animaduertens apud Hæbreos Rephuah. hoc est medicina, sicut apud Latinos modò artẽ, modò instrumentum quo quis curatur, significare. per hanc enim medicinam è terra creatam (inquit scriptura) medicus sanat, tollitq; dolorẽ hominis. quis ignorat Deũ omnia ex nihilo, solum hominẽ ac medicinam è terra creasse. quare relinquitur ꝑ medicinã subiectũ medicinæ, siue materiam sensibus obuiã è terra
crea-

creatam. quæ debitè præparata, humanos lã-guores auferre, ac medicina rectè appellari poteſt. vt hinc pateat perfectũ ac cõſumatũ medicum rectè dici, qui artẽ præparandi abſolutam hanc ac cõſumatam medicinam, reliquis ſcientijs cõiunxerit. qua nõ fallaci experimento, ſed certa ac firma regula languores omnes auferre poterit. nec obſtat etiam ſi quis nobis obijciat, è terra creata eſſe animalia, vegetabilia, & mineralia, ex quibus medicamẽta morbis cõgrua parari poſſunt. quia ſcriptura (cui aliquid addere aut demere nefas eſt) medicinam ſingulariter, & non medicinas creatas dicit, nos eã interpretationẽ approbare minimè poſſumus. ſed verè medicinã à Deo creatã dicimus. & hanc eſſe illam quam lapidẽ philoſophorũ, ſiue aurũ potabile, elixir vitæ, aut medicinã vniuerſalem, chymici vocant & excolunt, multorum authorum calculo indubitatũ redditur. hæc enim eſt anima & vita rerum, calor nimirum naturalis infixus in ſua humiditate radicali, quæ pauca quantitate, actione ampla & ingens exiſtit. nam quia ſyncera eſt & ſubtilis, à fœcibus ſuis & inquinamentis purgata,
cele-

celeriter penetrare, viresq; salutares demonstrare potest. nolo hic præterire quæ aliquando nobis obiecit Anglus. qui cùm in conuiuio audiret mentionem fieri huius medicinæ vniuersalis, in cachinnum prorumpens, tanquam si rem absurdã audiuisset, si inquit, talis medicina à Deo fuisset creata, sequeretur frustrà herbas, animalia ac mineralia producta fuisse. id cùm applausu multorum fuisset exceptum, retorsi in illum aliud argumentum, ac rogaui num homo præstantissima esset omnium animalium creatura? quod negare cùm non posset, intuli conclusioné sua similem, fuisse ergò reliqua animalia frustra creata. ô stultum genus hominum, qui tam futilia somniant, nedum indigna philosophis, sed fatuis etiam ridicula. nam quemadmodum homo præstat reliquis omnibus animantibus, ita hæc medicina κατ' ἐξοχὴν reliquis omnibus rebus creatis, præstantior est. Et vt omnia in vsum humanum sunt cõdita, sic reliqua medicamenta, tanquam pedissequæ, suæ inseruiunt reginæ. herbarum, animalium, mineralium cognitioné, vtpotè medicinæm inistram maximi faciendã iudicamus.

camus. Eãdem ſi dominæ ſuæ ſe anteponat, flagris dignam cenſemus. verùm quia non omnibus contingit ad tanti doni faſtigiũ facilè aſcendere, fit vt aliarum creatarũ rerum virtutes, illius vicem, quo ad fieri poteſt, ſuppleant: & neceſſitatibus hominũ alterius defectu ſuccurrant. & quamuis non ignorem, dum hoc demõſtrare cõtendo, graue certamen mihi ſuſcipiendũ eſſe: tum propter eos qui medẽdi artem *Hippocratis* & *Galeni* labore inuentam, ſatiſq; cõſumatam rati, non vltra progrediendum eſſe cõtendant. velintq; poſteros omnes ijſdẽ ſemper veſtigijs inſiſtere, ablata omni humani ingenij libertate. veluti ſi ſciẽtia authorũ authoritate potius, quã veritate metiri oporteret. tũ quia omnib. tẽporibus veritas ſemper ſuos hoſtes habuit, & chymiã indies multi oppugnent, propter ſectas à ſcopo aberrãtes, & cõtinuo pullulãtes. tũ præcipuè, quod omnes ferè qui hodie alicuius ſunt ęſtimationis, lapidẽ philoſophorũ metallorũ tranſmutationis gratia inuentum credant. moti eo argumẽto, quod poſt Triſmegiſtum, Geber, Lullius, ac multi alij, nihil aliud quã de metallis tractare videantur.

Quæ opinio à multis ſeculis altas egit radices, & à Græcis originem traxiſſe videtur. nam olim Ægyptiaca vetuſtas, ab Hæbreis edocta, lapidem ad medicinam præſertim elaborabant. id cùm ſuperſtitioſi ac idololatrę Græci ſubodoraſſent, eorum aliqui ſagaciores, ad Chaldeos, & Ægyptios ſe cõtulerunt, vt ex iſtorum ſcholis, eandem ſapientiam in Græciam reportarent. verùm quia ſupernaturalis profundius lateret, quã vt captus eorum poſſet aſſequi, proprio ſuo genio cõfiſi, à recto fundamẽto naturalium eiuſmodi ſecretorum & artis exciderunt. & auaritiæ ac ambitionis ſtimulo perciti, in theſauros accumulandos peruerterunt. Ita lolio ſuæ falſitatis, quemadmodum reliquas artes, nõ ſolum conſpurcarunt, ſed arcanum hoc, inuidia moti, ſuis fabulis, & figmentis, corruperunt, & fabuloſo poematum artificio ſic adumbrarunt, vt nihil aliud quam metalla tractare videãtur. verùm tales blaterones ignauos, ac ſuſurrantes crabrones, doctrinam laniare omni conatu adnitentes, nõ moramur, ſed tanquã aſinos ad lyram non admittẽdos ſuo loco docebimus. cùm quicquid produ-

ducant ex Gebero & alijs, & quomodo ſub metallorum tranſmutationis tractationem, veram artem occultauerint, non intelligant. Garriat Moroſinus Scotus aduerſus chymicos quantum velit, vt cornicum oculos configat, ac perſuadeat inanem eſſe metallorum tranſmutationem. nos id non curamus, qui medicinam tractamus, quamuis metallorũ tranſmutationem, huius beneficio fieri contra ſtupidos iſtos, ac loquaces graculos conſtanter aſſeramus. Et miror qua impudentia Scotus aſſerat, primos Chymicos quid ſibi velit res medica non curaſſe, multo minus morbo medicinam facere, quia placita veterum chymicorũ noſter orbis ignoret. quaſi verò ex noſtra ignorantia debeamus artem veriſſimam ac certiſſimam negare. quid multis? hęc ſemper fuit ignarorum & vilium cõditio hominũ, vt quod ingenio rudiori ſuo non valent aſſequi, damnent per inuidiam. nec ignaros tamen fore ſe iudicant, ſed plurimũ ſapientes. verùm ipſimet hoc ipſo ſtultitiam ſuam verè ſapientibus palàm faciunt. etſi coram vulgo ſapere videãtur. miſeri homines, qui vt ſibi nomen parent, omnibus

ludibrio ſeſe exponunt. Conātur enim quā-
tum poſſunt inueniēdis nouis viā obſtruere,
& traditas ab antiquis artes, iam quaſi vetu-
ſtate collapſas, ſepultas ac oppreſſas detinere.
quos ſi omnis poſteritas ſecuta fuiſſet, de-
merſa adhuc lateret multis in rebus veritas.
at quoniam nonnullis alia via, aliaq́ue ſtudi-
orum ratio placuit, certatim ſic elaborarunt,
vt ars hæc quę verius extincta occiderat, iam
planè reuixerit, ac priſtinum ſplendorem ſit
adepta. ad quam paucorum hactenus vel in-
genium vel induſtria penetrauit. ſed vt ad
rem redeamus: vbique veteres lapidem phi-
loſophorum, veram medicinā eſſe aſſerunt,
ac ignem conſumentem omnes morbos, nō
ſecus quam elementaris ignis, omne lignum
abſumit. Et hæc eſt ille Phœnix, tam occul-
tatus à poëtis, qui in igne naſcitur, produci-
tur, & propagatur, quique nullo artificio de-
perire poteſt. myſterium ſiquidem vniuerſæ
naturæ, vitæq́ue humanæ medicamen, om-
nia veluti in ictu oculi penetrans, ſuperflua
cōſumens, renouans deperdita, ſanans mor-
bida, ita vt nullam admittant amplius cor-
ruptionem. Eſt enim Philoſophorum lapis
ſo-

ſolidæ philoſophiæ fons, clauis ſapientiæ, anima & medulla Phyſices, medicinæ radix & meta, in quam omnes ſapientes viri collimarunt: adeo enim ſublimis eſt atque magnifica, vt in ea tota penè natura, totaque rerum vniuerſitas, tanquam in quodam liquido ſpeculo conſpiciatur. Ideo lapidem Philoſophorum, magnum Dei donum eſſe omnes vnanimi conſenſu fatentur. Dicunt enim tantis inuolutum eſſe myſterijs, vt ſine Doctore peritiſſimo non queat apprehēdi. niſi DEVS optimus maximus, mentem ſingulari dono velit illuminare. At quia hoc rariſſimè fieri conſueuit, pauciſſimos cum vtilitate, multos verò ſine fructu, in hac arte ac ſcientia laborare. Inſuper, hanc medicinam incorruptibilem eſſe, ac perfectionis penetratiuam & agilem, quæ non ſecus ac cœlum in elementa, ita illam in ſublunaria elementis ſubiecta agere, ſanitatem non ſolùm corporis humani tueri ac conſeruare, & amiſſam reſtituere: verùm ingenium atque mentem hominum acuere, corporaque ita diſponere, vt ad vltimum conſtitutum à DEO terminum (qui ſæpenumero petu-

lantia hominum abreuiari ſolet) ſani viuant. Sic Rogerius Bacho chymiam dicit eſſe ſcientiam docens facere & generare medicinã. Et niſi effrenata, innataq; redarguendi libido *Libaui* animum excęcaſſet, debuiſſet conſiderare definitionem Bachonis, quam epiſt. octaua reprehẽdit, eo quod dicat chymiam eſſe ſciẽtiam, docens facere & generare medicinam, quæ vocatur elixir, non tractare de metallis, quid enim medicinæ cum metallis commune eſt? nam medicina eſt ſanitatis, nõ metallorum tranſmutationis inſtrumẽtum. quamuis metallis coniuncta, ad vltimã perfectionem ea deducat. Præterea Bacho non medicinas, ſed vnam tantum, & non plures nominat: illamque non dicit tranſmutare metalla ſed ſupra metalla proiecta perficere complete, & in momento proiectionis. ille verò perficere complete in aurum & argentum tranſmutare intelligit. Inſuper ſi Deo placet definitionem Bachonis mancam eſſe dicit, quia vnicum tantum chymici officium attingit: idque propterea, quia veteres eum potiſſimum chymicum putabant, qui profitebatur metallorum tranſmutationem. &

hanc

hanc sciẽtiam nostris temporibus valde esse vsitatam. credo suis similibus facilè hoc persuaderet. At nos cum Rogerio Bachone, ac alijs omnibus (quorum longum esset recensere catalogum) officium chymicum vnum tantum esse dicimus, ac in vno tantum subiecto, nõ autem circa plura occupari. eamq; definitionem vt veram approbamus, reijcimusque quæ contra omnem veritatem effutire non erubescit. Sic Lullius in principio sui codicilli, dicit se velle demonstrare artem per quam suprema medicinarum medicina componi possit. Geber etiam artem medicinæ componendæ, hanc esse dicit, vt præparetur argentum viuum, cum modis suis iam dictis, cũ diuturni laboris instantia, quousq; omnis illius subtilis substantia purissima alba quidẽ in luna, citrina verò intensa in sole habeatur perfectè. In summa omnes affirmant artem chymiam artium omnium saluberrimam, vtpotè aqua ipsa sanitas, qua hominis nihil nobilius, aut suauius in hac vita cõtingere potest, ac sine aqua cuncta hominibus inutilia sunt, in naturæ arcanis rimandis nõ postremum locum obtinere. Omitto

Anaxagoram Clasomenum, qui antè Aristotelem fuit, & de summę medicinæ præparatione Gręcè scripsit. Et Democriti de eadē re Græcum carmen, ac reliquos infinitos. ex quibus apertè apparet non tam metallorum cupidos, quam sanitatis hominum, in philophorum lapide inuestigādo studiosos fuisse. quoniam hunc vnicam omnium præstantissimam medicinam esse existimarunt. verùm quid ista persequor? cùm impudentis arrogantiæ sit, arbitrari tot viros, tam excellentes Philosophos, Medicos, Theologos clarissimos, constantes, fidos, veritatis inquisitores diligentissimos, talia de hac arte vnquam voluisse scribere, hominibusq; tam sanctè affirmare vera esse, ipsisq; obtrudere, nisi fuissent experti. nam iudicare tantos viros mendacia nectere de hac re, qui de reliquis vera tradiderunt, absurdius est quam vt confutatione verbosiore dignum censeri debeat. Ineptus enim error est ex his nugis cornicari, & calumniare scientiam, tot indubitatis testimonijs veram. quam insuper ad hominū vsum à Deo manantem prędicarunt tam ecclesiastici quam profani scriptores. nec cōmittendum

dum vt multorum fides ex vnius mendacijs dependeat. Quæ cùm ita ſint, minimè dubium eſſe arbitror, hanc eſſe veram illam medicinam de qua in ſacra ſcriptura fit mentio. quod ita eſſe melius intelligere non poſſumus, quã ſi relictis authoritatibus, ipſum fontem aggrediamur. & ab ipſis principijs dicẽdi initium petamus: hoc eſt ſi quę veteres illi philoſophi poſteritati cõſecrarunt, diligenter examinemus. nihil enim vtilius nobis erit, quã regulam petere à veteribus illis, quorum ſapientia, ac in rebus experientia celebratur. relicta propenſione, ne dicam laſciuia humani ingenij, ad fingẽda ſomnia: quia certum eſt, non eos fuiſſe huius artis inuentores, quorum monumenta nunc manibus verſantur, ſed tantum quæ à ſuis maioribus acceperãt, fideliter poſteris cõmunicare voluiſſe, vt ex eorum aſſidua lectione ac meditatione, ad perfectam medicinæ ſcientiam peruenire poſſent. Et quia Hermes Triſmegiſtus (Chymicorum Pater) primus dicitur fuiſſe, qui poſt Diluuium, eam literis mandauit, ac clara veritate (vt Lullius in ſuo Codicillo inquit) ſucceſſoribus ſuis, fide-

fideliter & clarè eam cōmendando reliquit, ab eo ſolo ordiemur cuius verba hæc ſunt:

Verum ſine mendacio certum & veriſsimum.

Quod eſt inferius eſt ſicut id quod eſt ſuperius, & quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, ad perpetranda miracula rei vnius.

Et ſicut omnes res fuerunt ab vno, meditatione vnius, ſic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re adaptatione.

Pater eius eſt ſol, mater luna, portauit illud vẽtus in ventre ſuo, nutrix eius terra eſt. pater omnis Theoleſmi totius mundi hic eſt, vis enim integra eſt ſi verſa fuerit in terram.

Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuauiter magno cum ingenio aſcendit à terra in cœlum, iterumq́ deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum & inferiorum.

Sic habebis gloriam mundi, ideo fugiet à te omnis obſcuritas.

Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemq́ ſolidam penetrabit.

Sic mundus creatus eſt.

Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarũ modus eſt hic.

Itaque

Itaque vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus, *habens tres partes philoſophiæ totius mundi.*

Completum eſt quod dixi de operatione ſolis.

Hæc eſt vera præ cunctis alijs ars, & ſcientia, Chriſtiano homini maximè neceſſaria, quã conſtat ita ſemper à ſummis viris, regibus, principibus, ac Imperatoribus, vt omnium ſtudiorum honeſtiſſimam excultam fuiſſe, & certatim à maximis philoſophis prædicatam, vt ſummæ felicitatis humanæ portionem non minimam in ea ſitam plerique putarint, quam veteres illi ſapientes, vt diximus, antequam ab hac luce deceſſerunt, myſterijs vt videmus obuolutam reliquerũt, ne indignis ad eam aliquis pateret acceſſus. Et quia eam à multis, quaſi alienã profeſſionẽ præteriri, ab alijs quorum proprium erat hęc pertractare negligi, à nonnullis etiam contemni videbamus. nos perpenſa ſumma huius tractationis neceſſitate, propter infinita quę conſpicimus indies euenire incõmoda, ex huius profeſſionis ignorantia coacti fuimus, quædam manifeſtare, quæ multis multum profutura videbantur. Hæc tabula ſmaragdina, in hunc vſque diem varios habuit in-

interpretes, iuxta cuiusque diuersam ingenij capacitatem: & sic frustulatim per diuersas opiniones distracta, suis viribus immunita est, vt nihil fermæ prioris formæ retinuerit. quo factum vt in infinitos errores prolapsi quotquot fermè huic rei nauarunt operam, alios in similes errorum labyrinthos traxerint, adeò enim hæc ars naturalis suis principijs constans, ac sua simplicitate pura, tot mendacijs, & impuritatibus, totque deceptionibus confusa est, vt vix intelligi possit. sed qui ingenio præditus, & sagaci mente à Deo dotatus fuerit, videbit artem Chymicam ex penetralibus naturæ prodijsse, & non ex opinionibus & fallacijs hominum. quorum nonnulli Chymiam latè patere arbitrati, in triplici differentia illam constituerunt. quarum vnam naturalem, alteram sophisticam, tertiam metallicam esse dixerunt, cùm reuera nulla harum ad verum Chymicum pertineat. nam etsi ars Chymica vera sit ars naturalis, tamen ea relicta ad alias sine iudicio deflexerunt. itaque priorem cum arte distillatoria, quam spagiricam, vel vt melius dicam spuriam vocant confundentes, ἀπο τῶν

χυμῶν hoc eſt à ſuccis, ſiue ſubſtantia puriore, quam quintam eſſentiam vocant, quæ vi ignis ex quolibet corpore educi queat, dictam volunt. cuius beneficio è naturæ ſecretis, pulcherrimos & ſalutares fructus proferri, ac tot nobis pateſieri ac pandi naturæ arcana, tot ante hac incognitas pharmacorum præparationes: herbarum denique, animalium, mineralium, ac omnium benè rerum abditos, & in ipſo naturæ ſinu reconditos vſus depromi narrant, vt in hominum genus ingratos eſſe exiſtiment, qui ſepultam illam volunt. nam cùm huius virtute, atque horum Chymicorum præſtantia, multos habeamus in officinis eximios liquores, balſama, eſſentias, atque olea, ante noſtram ætatem prorſus incognita, nónne horum omnium excellentes artifices ſumma laude dignos exiſtimabimus? eo quod in rerum naturalium maximè abditarum ac ſublimium contemplatione verſentur? facultates ſingulorum ſimplicium per artificioſam analyſim inueſtigent, cauſas concretionum & diſſolutionum penitus inquirant, diuinas aliquot compoſitiones ſeu
cu-

cuiusq; rei essentiam nobis ante oculos ponant: quæ etsi vera sint ac suam gloriam mereantur, tamē longè absunt à vera illa ac antiqua chymia, à philosophis decantata, quæ in vno tantum subiecto vires suas pādit atq; ostendit, Alteram differentiam, cùm in mineralibus tātum versetur, & veræ imaginem quādam referat, viderique magis quam esse affectet, quia fundamenta in natura non habet, nullos fructus aiunt proferre. Hæc quia in perditorum quorundam ardelionum collegijs multis contaminata fraudibus exercetur, qui fucatis titulis detestandam doctrinā professi sacræ chymiæ nomen sibi furto & rapina vsurparunt, ac doctorum virorum institutis abutentes, sectas introduxerunt, non nisi ab erronibus, circumforaneis, agyrtis, ac impostoribus monachis, ac Iudæis, in summa ab hominibus ex omni scelerum coluuie natis, amplexa fuit. & ob nimiam familiaritatem, peperit ingentem impostorum copiam. qui pręter id quod mentiantur, homines bonos & simplices, reuocant & abstrahunt à veris honestisq; laboribus, ad speluncas, fumos, fuligines, cineres, tenebras, & fœtores pessi-

pessimos, vbi veluti in tartaro pereunt. quod non alia ratione euenit, quã quod legendo miranda chymicorum experimenta, deside-rio ac curiositate attracti, operari secundum faciem lectionis incipiunt. & cùm nullum consequantur promissæ operationis effectũ, propter omnimodam ignorantiam, libros optimos experientia probatos, tanquam inanes & friuolos cum ignominia abijcientes, condemnant. veluti si promissione authorũ essent decepti. sed ne soli viderẽtur abducti, ac oleum & operam perdidisse, pluresq; haberent erroris socios, maiora quam inuenerunt promittentes, vana, friuola, & conficta, libris sapientum immiscuerunt. & pro Chymica medicina, vnica & sola margarita, varias essentias, tincturas, elixiria, spiritus, sales, olea, magisteria, ac alia infinita, ad fallẽdum satis procliuia, multis obtruserunt. & hac via malè cautos homines irretitre capsiosèque fallere cõsueuerunt. Ex his fontibus tot chymiæ putrefactiones, tot dissolutiones, tot separationes, tot purgationes, reductiones, siccationes, congelationes, emanarunt. quæ omnia perditissimi deploratissimique ingenij homi-

hominès, grandioribus collegerunt voluminibus, partim vt ipsi decepti, consumptique, alios quoque deciperent, & ad perdendum oleum & operam viam aperirent. partim vt mirabilibus traditis dogmatibus, sibi famam comparantes, spe etiam ingenti oblata adipiscendarum diuitiarum, marsupia ignorantium emungerent. de quibus rectè Augurellus cecinit:

Mendaces adeo multi quacunque vagantur
Multa polliciti vane, quæ multa nec ipsi
Resciuere, neque est illis ea noscere promptum,
Qui recta quæ nos ducit via prorsus aberrant.
Multos quin etiam insignes & cætera doctos
Vidi cūcta quidem tractare, & pēdere magni,
Quæcunque ignarū probat ac ignobile vulgus.

Tertiam Chymiæ differentiam in metallis cōstituerunt, viri docti ac summi ingenij ac æstimationis laudatissimæ: quam cùm essent aggressi, in eaque addiscenda, amplianda, ac illustranda, frustra plurimum collocassent operæ, nec voti compotes fierent, eo quod allegoricos philosophorum sensus non caperent, ad metallorum transmutationes detorserunt. in quibus impliciti, multis sudoribus

sine

ſine fructu exantlatis, in vanum laboraſſe experientia manifeſtum fecit. attamẽ ne authoritatis aliquam iacturam facerent, errorẽ agnoſcere noluerunt, ſed in eo pertinaciter perſiſtentes, ita mordicus conceptam opinionem conſeruarunt, ac etiam nunc tuentur, vt facilius clauam è manibus Herculis eripias, quam vel vnguem latum à propoſito amoueas. Et licet hæc opinio adeo validas in illorum animis egerit radices, vt nullo rationum bipalio euelli poſſe videatur, tamen ſuſceptum veritatis patrocinium minimè deſeremus, etiã ſi hac via numeroſiſſima lectorum pars, hanc artem ad quæſtum trahere volens, ſeducta fuerit, & temporis compendia ſequi maluerit, quam longiori tempore artis pulchritudinem quærere. Itaque à primis illis authoribus malè intellectis, protinus nõ ad artis principia, ſed ad finem tranſierunt. & dum non animaduertunt diligenter, in ſingula philoſophorum dicta, vt intelligant ſagacitatem ingeniorum artem iſtam in deſcribendo velantium, de incognitis diſputando, ridiculos ſe præbent. in eadem naui eſt noſter Libauius, qui impudenter aſſe-

rit Hermeticam tabulam, & Geberi, ac aliorum monumenta, nihil fermè habere quam metallorum transmutationem, & in re non dubia testibus non necessarijs vtitur. adeo in conceptam semel ingenij ruditate opinionem præceps labitur, vt Andabatarũ more, in prælium aduersus omnes chymiæ doctores, veluti oculis clausis feratur. verùm quod ad Geberũ & reliquos attinet Philosophos, quia breui eorum apologia aduersus Iubertum, Morosinum, ac Errastum, in lucẽ proferetur, in qua nõ Aristotelis, aut alterius authoritate, sed vera demõstratione eorum argumenta refellentur, nos eam hic agere nolumus: nam in ea dilucidè Morosino ostendemus omne quod non nuda sed vera potẽtia in nostris non suis mineris consistit materiam, proximam transmutationis metallorũ fieri posse, nec non metalla omnia Chymica eiusdem esse speciei veritate apodictica, demonstrabimus, eiusque argumenta absurda, inepta, stolida vtpotè ex falsa hypotesi ac disputationis imaginario cardine constructa nullius esse momenti, sed nolo me inuitũ lõgius abripiant eius nugæ, cùm vt dixi, apertè

ſatis alio loco cōmodius, & ex profeſſo tra-ctabuntur. tantum hoc vt verum ita inauditum conſtanter aſſeremus, excepto Paracelſo, neminem hactenus in tanta ſcriptorū turba extitiſſe, qui aut *Geberi* aut reliquorū eius farinæ philoſophorum intētionem nobis apertè declarauerit, aut ſenſum eorū ſcriptorū ad vnguē cognouerit. nā quod ad metallorū trāſmutationes omnia deflectant ac in ſonu verborum ſuſpenſi hęreant, ſtolidi ſunt. cùm ipſe *Geber* fateatur hanc artē tradidiſſe ſermone claro, & aperto prudētib. & huius doctrinæ filijs, hoc eſt ijs qui ſub metallis occultū ſenſum eruere poſſunt. ignorantes verò, hoc eſt, qui nō aſſequūtur, quid in illis lateat, admonuit vt eam fugerent, tanquā ipſis noxiā, quæ facilè ad extremā paupertatē, ſummāq; miſeriā perducat. nā dū in præparationibus mineralium ac metallorū verſantur, dum in medicinis primi, ſecūdi, tertij ordinis implicitum ſunt, dum medicinas Venerē & Martem dealbantes, lunam citrinātes, mercuriū coagulātes, Saturnū & Iouem purgātes, cōficere ſtudēt. quid aliud quam oleum & operā perdunt? ſcopum authoris nō intelligētes, cuius

præcipua intentio in illis deſcribēdis medicinis, nec fuit, nec eſt, vt metalla tractaret, quamuis eorū nominibus vtatur, ſed vt ſub eorum larua, vnicam & vniuerſalem deſcriberet medicinam. quo numero, pondere, ac menſura, componi deberet, ac quanta eius altitudo, latitudo, & profunditas, eſſet, oſtenderet. nam vt ipſe (inquit) vili precio, ſi artis principia cognoueris, & ea quæ tradidimus rectè intellexeris, ad perfectionem magiſterij peruenire poteris. Vt verò quæ tradimus rectè intelligas, neceſſe eſt ſermonem huius doctrinæ, non ex nuda litera, ſed altiori indagine cōſiderare, & ad medullam ſenſus allegorici penetrare, menteṁq; & intentionem noſtram, hinc inde diſperſam, & data opera improbis obſcuratam, & velatam, magna induſtria colligere, vt tandem ad veram cognitionem principiorum naturæ, & artis, peruenias. Si igitur nos tam ſyncerè admonet, ne verborum ac ſententiarum varietate intricati decipiamur, nónne magna iniuria afficiemus, ſi impoſtorem vocabimus eum qui hortatur vt vnuſquiſque ſibi caueat, ne propter ſuam ignorantiam, in laqueos

ſua

ſua ſponte incidat. Neque verò difficultatē aliquam inijciant nobis, ementiti librorum tituli, de Chriſopœa, de Aurifera arte, de metallorum tranſmutatione, & ſimiles. qui ab ijs inuenti & adſcripti ſunt, quos auri & argenti ſitis delirare fecit. quos tanquā Epicuri porcos, in ſuo luto putreſcere ſinamus, & tractare fabrilia fabros. Philoſophi verò, qui medicinam, nō metallorum vulgarium tranſmutationē tractarunt, de chymia libros ediderunt, quorum inſcriptiones ſunt de cōpoſitione lapidis philoſophorum, de inuentione perfectionis, de ſumma perfectione, de chymia, de perfecto magiſterio, de quinta eſſentia, de ſpeculo alchymiæ, de roſario minore & maiore, de flore florum, de nouo lumine, de clangore buccinæ, de ludo puerorum, de aurora cōſurgente, de vnica & tamen triplici medicina, ac infinitæ aliæ quarum longum eſſet recenſere catalogum. etſi rem ad calculum exigere volumus, nullum ex antiquis, de vulgaribus metallorum tranſmutationibus, librū intitulaſſe reperiemus. alia enim ſunt hominum figmenta, quæ vt fidem acciperēt, inſcripta ſunt: ſic multa alia

perditionis opuſcula extant, quæ paſſim venduntur in hominum pernitiem. nam philoſophi cùm nõ agnoſcant vulgaria metalla, de illorum tranſmutatione non agunt. ſed tantum de eorum metallis, per quæ ad ſummam medicinam peruenitur. neque etiam ſeducamur, etſi Geber hanc ſcientiam dicat de imperfectis corporibus metallorum tractare: & Raimundus Lullius aſſerat chymiam tranſmutare omnia metallica corpora in veram Lunam, poſtea in Solem, per vnum corpus medicinale, nam ita eſſe, ipſa medicinæ confectio ſatis docet. quæ omnia imperfecta metalla primum in argentum, vltimo in aurum conuertit, in quo ſumma perfectio conſiſtit. ad quem tamen perfectionis gradum peruenire non poteſt, niſi per imperfecta metalla tranſitum faciat. verùm ſi quis hoc intelligat de vulgaribus metallis, vti *Moroſinus Scotus Quercetanum* metalla in perfecta & imperfecta diuidentem deridet, longa via errabit. quia delicias & ludrica philoſophorum, quibus auarum vulgus irretire ſtudent, non intelligit. non enim philoſophi vulgaria metalla, in perfecta, & imperfecta, diui-

ſe-

ſerunt. neque tam bonarum artium fuerunt inſcij, quin agnouerint ſingula metalla à natura ſuam habere perfectionem, neque aliud alio perfectius eſſe. Verùm Philoſophorum metalla aliter ſe habere, & concoctionis ratione tantum maioris vel minoris inter ſe differre nouerunt. Nam vt (inquit) Bachonus, natura tam perfecta quam imperfecta, ſola decoctione perficit. id ſi de vulgaribus intelligas, falſiſſimum erit: id quod alius philoſophus apertè affirmare videtur, dum aſſerit, notiſſimam eſſe cauſam erroris illorum, qui operantur in metallis naturalibus, ea videlicet præparando calcinatione, diſſolutione, congelatione, & fixatione credentes ab iſtis medicinam philoſophos creare, eo quod dicant ex ferro, plumbo, & cæteris metallis, generari aurum. ſed miſeros homines, non intelligere illam rem quam ipſi vocant aurum, vel medicinam auri ex reſolutione ſeu corruptione aliorum metallorum generatam. ideò (vt inquit) ſciendum: omnia metalla vna eademque operatione & generari & corrumpi. ex quibus tandem generatur aurum eorum,

vnde etiam dixerunt quod ferrum, plumbũ, & reliqua metalla, ſunt aurum: propterea quod cauſa aliquo modo dici poteſt ſuus effectus. Et quomodo poſſent de metallis vulgaribus intelligere, ſi prædictas operationes metallorum complexiones vocant? quare ſemper non tam quis dicat, quam quid dicatur ſpectandum eſt. Hæc ſi Libauius, Eraſtus, ac Moroſinus Scotus intellexiſſẽt, aliter ſentirent de metallorum trãſmutatione, quã impoſſibilem eſſe probaſſe ſibi probè videntur. cùm ipſum ferrum vulgare, quod indies in cuprũ mutare poſſunt artifices, eorum omnes rationes cõfundat ac peſſundet, & velle rationibus ea euertere, quibus experiẽtia nõ obſcurè contradicit, quamuis argumẽtationibus firmiſſimè cõcluſa eſſe putentur, & negare ſenſum propter probabilem rationẽ imbecillitatem iudicij arguit. Miſeri homines, dum vniuerſam ætatem in chymicis cõſumpſerunt, quia non conceſſa fuit illis gratia, ad tanti myſterij dignitatem peruenire. quærunt omni conatu falſam oſtendere, ac perfricta fronte mentiri. audentque philoſophos, omni exceptione maiores, calumnijs

affi-

afficere, metallurgos, impostores vocare, ac homines versutos, fallacesque clamitare. quibus id vnum semper cordi fuit, vt de genere humano, quamplurimum mererentur. Quid enim fingi potest impudentius, quam damnare eos quos ne legeris quidem, multo minus intellexeris? quid ingratius, quã pro tam immensis sudoribus, vigilijsq; quas iuuandi animo susceperunt, & quibus nulla gratia referri queat, rependi calumnias? Desinant igitur si sapiunt maledicere, ac opinionem illam metallicam deponant, ac respuant, eamque cum nostra medicinali cõmutent, quia dum metallurgiæ infamia veteres aspergere conantur, nihil aliud quam eorum ignorantiam cum stultitia magno dedecore produnt. Et quãuis difficile sit errorẽ agnoscere, ne multorum annorum cęcitas, in qua versati sumus, pudorem nobis incutiat, tamen non est quod timeant ignominiosum illis futurũ, si pedem à pristina opinione retulerint. cùm opprobrio omnibus vertendũ esset, si veritate cognita non resipiscerẽt, aut cauillis eam deprimere studerent. Non est probrosum cespitare in rebus arduis, nisi per-

pertinaciam quæ veritati resistit, cõiunctam habeas. proprium hominis est labi, & errare, & in rebus facillimis hallucinari & cæcutire. sed vt ad tabulam Hermetis redeamus, dicat quæso *Libauius* cum reliquis, vnde colligant eius tabulã de metallis tractare, cùm metallorum nullam faciat mentionẽ. quod si dixerit, per solis & lunæ nomina, se aurum & argentum intelligere, veluti sua in tabulã smaragdinam expositione ineptissimè nugatur: cõsiderare debebat illud extra authoris mẽtem esse, cùm solem patrem, & lunã matrem, vocet. quomodo enim aurum & argentum patris, ac matris officio fungi possunt? imaginari in lapidis confectione, aurum tanquam agens, & argentũ tanquam patiens, illud patris, hoc verò matris nomine insigniri, est docta ignorantia fucum facere. nã lapis ex masculo & fœmina genitus est, ideò maris & fœminę in se proprietates habet. non negamus solem & lunam, præcipuas sibi partes vendicare in lapidis confectione. nam vt dicit *Hamuel*, lapis est aqua congelata in sole & luna. verùm quod illa aurum & argẽtum sint vulgaria, planè absurdum esse, constanter asserimus.

rimus. Et ſupra ſatis oſtēſum eſt, chymicum non verſari circa aurum & argentum vulgaria. vnde colligere poſſumus, aliam fuiſſe authoris mentem, quam verba vulgariter ſonant. niſi ea philoſophicè intelligas. quod quiuis facilè percipere poterit, ſi verba authoris, vt decet, expendat: dum lapidis materiam deſcribens, dicit ventum in ventre ſuo illa portaſſe. quod veriſſimum eſſe, nouerunt docti. quamuis plurimi non ad materiam ſed diſtillationem hoc tantum referant. quibus etſi id concedatur, non tamen abſurditatem effugient. nam in diſtillatione, quomodo ventus in ventre ſuo duo illa portare poterit, hoc eſt aurum & argentum vulgaria, quantumuis attenuata ac ſubtiliata? præterea, quomodo aſcendent in cœlum ac deſcendent in terram? quia certum eſt generationem geniti fieri in aëre. aſcēdit enim à terra in cœlum, iterumque deſcēdit in terram, cōquirens vim ſuperiorum penetrandi, & inferiorum incraſſandi. Inſuper, cùm aurum & argentum duæ res ſint diſtinctæ, vnicuique manifeſtè apparet, Hermetem Triſmegiſtum de illis non intelligere,

cùm

cùm dicit ſicut omnes res fuerunt ab vno, meditatione vnius, ſic omnes res (hoc eſt metalla noſtra) natæ ſunt ab hac vna re adaptatione. ergo vnam tantùm rem in qua Sol & Luna philoſophica, nec nō omnia metalla continentur, recipit. tantū abeſt vt de vulgaribus ſit intelligendum. quare illa de auro & argento opinio meritò explodenda venit. Eadem ratione vbi dicit, hæc eſt fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnē rem ſubtilem, omnemq; ſolidam penetrabit, ad metalla referendo peruertunt. quia (inquiunt) vincet, hoc eſt, coagulabit, omnem rem ſubtilem, puta Mercurium ſiue argentum viuuū vulgi, omnemque ſolidam penetrabit, hoc eſt, omne metallum durum perfectum & imperfectum, vt ſunt Luna, Saturnus, Iupiter, Venus, Mars, ad maximā perfectionem adducet naturalem. Verùm quam dura ac nimis longè petita ſit hæc interpretatio, quæ etiam nulla ratione vera eſſe demōſtrari poteſt, vnicuique iudicandum relinquitur. Vult enim Hermes ea ſententia, medicinæ conditionē indicare, quæ talis eſt, vt omnia corpora rerum naturaliū ad extremam hu-

ius

huius mundi perfectionem adducat. Rectius multo Dorneus ſenſum authoris aſſequutus eſſe videtur, qui eam ſententiã exponens (inquit) quia vincet, id eſt expellet, omnem rem ſubtilẽ, hoc eſt ſpirituales tenebras mẽtem occupantes, omnemq́; rem ſolidam penetrabit, hoc eſt omne videlicet craſſum, durum, ac tartareum vitium, & ſubſtantiales morbos, à ſolidiſſimis etiam partibus eradicabit. nam ſubtilem ac ſpiritualem in humana mente morbum vincit, & omnia corporis vitia, tam interna quam externa, quantumcunque ſolida, penetrat ac pellit, & ſic hoc loco ſubtile pro ſpiritu, & ſolidum pro corpore accipiendum eſſe cenſet. Et hanc eſſe veriorem eius declarationem confirmare videtur Hermes, dum ait: ſic habebis gloriam mundi, ideo fugiet à te omnis obſcuritas. nam reuera gloria parui mundi, hoc eſt hominis eſt ipſa ſanitas. & quemadmodum duplicẽ nimirum corporis & mẽtis infirmitatem eſſe ſcimus, ita medicinam effectu ſolo, non eſſentia duplicem eſſe conſtat. quæ à te, & non à metallis fugabit omnem obſcuritatem. hoc eſt morborum ac ægritudinum

tene-

tenebras. nam omne corpus infirmũ obſcurum eſt, contra ſanum ſplendorem atque ſerenitatem vndique palam facit. Et quamuis hæc ſententia proprius ad Hermetis mẽtem accedat, tamen non tam anguſto termino comprehendi cenſendum eſt. Magnum etiã argumentum ſtultitię edidiſce videtur Libauius, dum Hermetem ter maximũ inde nominatum arbitratur, quia trium lapidũ philoſophorum cognitionẽ ſummam habuiſſe dicatur, quos animales vegetabiles & minerales vocat. vegetabilem dicit eſſe eſſentiam vini, mineralem ſpiritũ chalcãthi, animalem quintam eſſentiam auri. quaſi verò eius figmentis contenti, oracula exiſtimare debeamus, quicquid effutire non dubitat. At, dicat obſecro, quomodo tres hi conficti lapides, cum tabula Hermetis, ac aliorum philoſophorum conueniant? cùm ille ab vno omnia proceſſiſſe affirmet. & qui eum ſequuti ſunt, vnum tantum eſſe lapidem cõmuni cõſenſu afferant. & ſi quis errauerit ab illo vno in principio, tedium ſortietur in fine. quomodo igitur tres erunt ſi vnum tãtum agnoſcant

ſcant? vt poſtea latius declarabitur. Nocentiſſima ſanè hæc opinio, plurimos ita inuaſit, vt occaſionem dederit ſuſpicandi nullam eſſe artem chymicam. quia adeò diſſidentes ſui profeſſores ferat. & hac ratione data opera irruunt in cõmunem omnium perniciem impoſtores. qui magno applauſu, & plebis conſenſu, ſuas ineptias promouent, & ſic impijs technis artem pulcherrimam, ſaluberrimam & ſacratiſſimã mirum in modum proſcindunt, & conculcant, vſque adeò terribile malũ eſt inſcitia, cum vulgi fremitu adiuuatur vndè rectè ille ἀμαθία σὺν ὄχλω δεινὸν κακὸν. At delirat profectò quicunque exiſtimat Hermetem vulgariter tantum loquutum ſuis eſſe, iuxta literalem ſenſum, ac ſi voluiſſet inuenire triplicem lapidem, dum aſſerit ſe tres naturalis philoſophiæ partes habere. verum ſub rudi ſermone & manifeſto cortice, maximum naturæ myſterium includere voluit. non enim tres lapides, vt Libauius ex ſua cerebri officina exponit, ſed vnum tantũ tribus virtutibus cõſtantem deſcribit. nã philoſophia Chymica, tres habet partes, nempè Solem, Lunã, & Mercurium,

ex illis coniunctis pater Hermes ſciuit conficere medicinam. præterea lapis in ſe conſideratus, animalis, vegetabilis & mineralis eſt: non quod ex animalibus, vegetabilibus, aut mineralibus, indifferẽter fieri poſſit, vt multi opinantur, & fruſtra in illis pecuniam & labores ſuos inſumunt. Sed animalem propter animam. Sicut enim homo per ſeparationẽ animæ à corpore mortuus dicitur, ita in lapide fit. nam ſeparata ipſius meliore ac formali eſſentia ſiue tinctura, quæ eſt philoſophorum anima, remanet materia quædã informis, ac tunc primum induit formam illuſtriorem, cùm ex proprio corpore extracta, denuo illi redditur. & hac ratione animalis dicitur. vegetabilem verò dixerunt, à ſimilitudine animæ vegetatiuæ, quæ tamen cum animalibus communis eſt. mineralis dicitur, eo quod ex minera extrahitur. nec hac ſolum ratione animalis vegetabilis & mineralis dicitur, Sed etiam quod non ſolum humana corpora, & metallica, ad ſanitatem deducat, ſed etiam in vegetabilia vim ſuam exerceat, rectificando (vt inquit Lullius) plantas omnes tanquam ſi tempus veris inſtaret.
con-

cõcludamus igitur cũ philoſophis, lapidem vegetabilem animalem & mineralem triplicem eſſe nomine, ſed vnum in eſſentia. Non igitur tam temerè de antiquorum ſcriptis iudicium feramus, ſed potius antiquorum virorum ſolertiam, multa diligentia ac gratulatione ſtudioſè amplectamur: neque enim ſine magna rerum noſtrarum iactura, iſta præterire licet. Et profectò eſt hominis parum prudentis, ea negligentius præterire, quę tot vigilijs ac laboribus, à maioribus redempta, nobis veluti per manus tradita fuêre. quare primo qualis ſit hæc patrum antiquorum vnica ac vniuerſalis medicina, diſcamus: deinde quale ſit illud ſubiectum, quod reuera, & non ænigmaticè, patris ac matris munere fungitur. clarius exponere philoſophię leges vetant. eo intellecto tandem ignorantiæ ſuæ quiſque tenebras agnoſcet, & quam procul hanc artem hactenus ſalutauerit, comperiet. Qui enim in Philoſophis verſati, eorũ abdita ſecreta guſtauerunt, ſciunt nõ ſolùm *Hermetis*, ſed & aliorum philoſophorum, qui de chymia aliquid memoriæ prodiderunt, mẽtem fuiſſe, ex profeſſo medicinam, non me-

tallorum trāſmutationes, in ſtudioſorum ac ægrorum vtilitatem, atque vniuerſæ reipub. cōmodum, docere. Et quamuis iſtius medicinę vis ac proptietas ſit, non ſolum humana corpora, ab omni inquinamēto præſeruare, ſed etiā metallis viliorib. omnem corruptionem auferre, tamē cùm hoc poſtremū, à priore depēdeat, longa errare via videntur, qui priore relicta, ad alteràm temerariè ac feſtinanter ſine iudicio ruunt, in qua tanquam in vaſto pelago, in certis ſedibus, nunc huc nunc illuc diuerſorum ventorum impetu feruntur, vt nullum portum inuenire queant. Et hinc illæ lachrimæ, hinc innumeri ac infiniti propemodum à recto tramite deuiantium errores prodierunt. qui non ſolum in operis phyſici labore, ſed in ſubiecti electione verſantur. nam dum ob veſani auri & argenti famē, ad vnum ferè omnes, aurum & argentum tanquā ſcopum & finem ſibi proponant, varias ineunt vias, vt id aſſequantur. ſed qui aurum & argentum ſitiunt, ab auro & argento medicinam petendam cenſent, moti ea ratione, quod tranſmutatio naturam ſequatur tranſmutantis, & non tranſmutati.

tati. alioqui fieret vt nobilius per ignobile transmutaretur in degenerem naturam. prętereà in auro, inquiunt, semina sunt auri, & omnis tinctura à suo simili procedit, vt dicit Morienus. nam quæ seminauerit homo, hæc & metet. Semina igitur aurum & argentum, & ferent tibi fructum aureum & argenteum. quia hæc sola id præstare possunt. Etenim sicut fermentũ pastæ, pasta est: ita fermentum auri, aurũ est. his addunt Seniorem dicentem, qui colligit coloquintida & sperat ex ea mel expressurũ, is profectò demens est. nũ oues pariunt homines, nũ grana tritici ꝓducunt galbanũ, num volatilia parturiunt pisces. his rationib persuasos, vno ore audies pronunciantes formã auri effectricẽ ex solo auro, argẽto ex solo argẽto effodiẽdã depromẽdãq; esse. *Ferneliũ* quoq; adducũt, qui lapidẽ philosoph. siue medicinã gignẽdi ꝓpagandiq; auri verũ semẽ, nõ è sulphure, nõ ex argẽto viuo, nõ ex vllo cæterorũ, quæ multi fraude ꝓponũt, sed solo auro argẽtoq; iisq; purissimis quærendũ vestigandũq; esse scripserit. quę spes opum, multis inopiæ, nõnullis exitij causa fuit, dũ neglectis alijs rebus

 huię

huic vni dediti,& laboris plurimum,& lucri modicum res habuit: dum ad hanc auri cupidinem, cœlo & ſole derelicto, in tenebris euum agere didicerunt, cæco & noxio ante tempus vapore conſumpti. Sed dices, ſi medicina noſtra vniuerſalis ex auro vulgari nõ componatur, quomodo aurũ generare poterit, ſi ſimile à ſuo ſimili generari debet? Reſpondemus nos cũ philoſophis, quibus non tanta fuit ignobilium metallorum in aurum & argentum vertẽdorum cura, quanta incolumitatis corporis humani tuendæ & inſtaurandæ, nõ negare ſimile generari à ſuo ſimili, nec aurum producere niſi aurum, iuxta illud poëticum, Hordea cui cordi demum ſerit hordea, ne tu nunc aliundè pares auri primordia, in auro ſemina ſunt auri, quãuis remota ſint longius,& magno nobis quęrenda labore. tamẽ cùm pręposterè res regatur, nec aurum generandi vim habeat, niſi per medicinam illi talis poteſtas ſit infuſa, medicinam prius habere neceſſarium eſſe dicimus, antequam ad auri generationem accedere liceat, & hoc opus hic labor eſt. nã vt metalla tranſmutare poſſint neceſſe eſt vim alterãdi prius

affequantur: alterare autem non poſſunt,niſi penetrandi acumen prius obtineant,at penetrare non valent, niſi prius medicina attenuentur,ac vegetãdi vim poſſideant. Et hoc eſt quod dicit *Raſis*,aurum non tingit,niſi ſeipſum,donec factum ſit ſpirituale, tũc habet tincturam ſine numero, ſed in iſta parte practica pluribus eſt abſcõdita. quocirca hallucinari manifeſtè videntur,qui abſque medicina, metallicum corpus perfectum,aut imperfectum producere tentant: veluti ſi quis ægroto facie deformi, ac pallida, neglecto morbo ac medicina, vellet calorem cum venuſtate conciliare, ridiculus videretur. ita profectò, qui metalla tranſmutare conatur, abſque vniuerſali medicina, quæ in animalibus vegetabilibus ac mineralibus vires ſuas exercet, ineptus ac ſtolidus eſſe reperietur. neque enim ſi quis lapidem philoſophorum cõfectũ habeat,ſtatim quæuis metalla tranſmutare poterit.nã talis cerdonica indoctaq; imperitiſſimi vulgi opinio,re ipſa falſa,vana, & nullis fundamentis fulta, repugnat euidẽtiſſimis philoſophorum argumentis & rationibus.nam,vt inquit philoſophus,medicina

in natura sua sumpta nō est metallorum perfectiua. hoc est, nō potest imperfecta metalla in aurū & argentum transmutare. sed vt talis euadat, ad naturā metallicā prius est ꝓmouēda. si itaq; est ad naturā metallicā deducēda, constat eandē per se nō esse naturę metallicę, quoniā medicina ex sui natura & ꝑ se imperfectum metallū in aurum aut argētum transmutare minimè potest. nisi supra aurū proiecta talē illi vim ac facultatē inserat, vt ea quæ sunt sui generis, in sui naturam postea cōuertere possit. & hac ratione intelligere quiuis potest quomodo aurum generet aurum, nec nō simile suum simile. nā ita medicina ad naturam metallicam deducitur, & ipsum aurū fit medicinale. Constituere verò aurum pro subiecto chymico, absurdū planè esse à philosophis plurimis satis probatum est. neque vlla antiquitatis authoritate stabiliri potest. sed nos illis relictis, consideremus tantū qua ratione fieri possit, vt aurum metalli species, medicinā vniuersalem producat, quæ omnibus metallis vim generādi sibi simile tribuat. neq; enim solum medicina si auro iungatur, imperfectorū metallorū leprā tollit, verum ipsum aurum & argētum in corpus imperfe-

ctum reducet, ſi hoc medicinæ mixtum, vegetãdi vim acquiſierit. nã quemadmodum aurum, virtute lapidis medicinale factum, ſupra corpus imperfectũ ꝑfectum, illud in ſui naturã, hoc eſt aurum tranſmutat, ita corpus imperfectum (exempli gratia plumbũ) ſi medicinæ iungatur, ac medicinale fiat, proiectũ ſupra aurum & argẽtum, illa in plumbũ conuertet, quod pauci hactenus intellexerunt. etiam ſi *Lullius* dicat, ſe beneficio medicinæ aurum in plumbum tranſmutaſſe. Hanc ſententiam cõfirmare *Lauren.* venturã, vbi de lapidis multiplicatione agit facilè percipient, qui eius verba diligenter animaduertent. inquit enim: Hæc proiectio, pluries reiterari poteſt ſuper corpus perfectum, vel ſuper Mercurium crudum, & tandem ſuper corpus imperfectum, & tunc procul dubio conuertitur in illud metallum, ſuper quod primo medicina fuerit proiecta. propter quod ſi medicina proijciatur ſuper plumbum, Iouem vel *V*enerem, & poſt illam ſecundã proieceris ſuper Solem & Lunam, procul dubio in corpus imperfectũ cõuertet, in illud videlicet, ſuper quod primã medicinã proieciſti.

 Idem

Idem *Auicenna* multo clarius exprimit, dũ de modis proijciendi medicinam tradit. dicit autem quod modus proijciendi eſt iſte, vt proijcias partem vnam medicinæ prædictæ, ſuper partes centum auri fuſi, & facit ipſum frangibile, & totum erit medicina, cuius vna pars proiecta ſuper cẽtum, cuiuſlibet metalli fuſi, conuertit ipſum in aurum optimum. Et ſi proieceris ſuper lunam, ſimili modo conuertit omnia corpora in lunam. per eundem modum poteris cõuertere ſolem in Lunam, in Venerem, Saturnum, Iouem, & Martem. Neceſſe eſt igitur vt relicto auro aliam lapidis materiã magis generalem quæramus, ex qua medicina vniuerſalis elici poſſit. quod ſi præparatione dixeris aurum ſubiectum lapidis fieri poſſe, errare te in ipſo limine philoſophorum clamãtium, vnam tantum rem eſſe à natura productã, & non ab arte, eamq; vilem, & quam ignis non tetigit, docti manifeſtè perſpicient. Et qui aurum materiã eſſe lapidis affirmant, ridere miſeram hac in re laborantium cõditionem videntur. nam cùm operis initium debitę ſit materiei corruptio, ſolo igni contracta, ac quaſi totius diſſipatio,

ac

ac dilaceratio quędam, seu diuisio, in quatuor elementa, qui fieri potest, vt aurum, quod igne quantumuis aucto atque intenso, tantũ abest vt destruatur, aut corrumpatur, vt lõgè etiam fiat solidius atque vegetius, istius sit lapidis materia? cùm (vt inquit philosophus) lapis creatus inueniatur à natura, & per Deũ (inquit) altissimum nihil plus indiget, nisi quod remoueatur quod est superfluũ. quodnam (quæso) superfluum in auro puro, putoque reperitur? meritò igitur de illo subiecto anxiè dubitatur. nã vt inquit ille, omnis error in arte existit, ex eo quod debitam materiam non accipiunt. qui enim nescit principium, finem non cõsequetur. Et quamuis olim sapientes naturę secretis imbuti, de materia siue subiecto lapidis, vel penitus tacuerint, vel nimia obscuritate inuoluerint, vt nõ nisi à sibi similibus verè intelligi possit, tamẽ si quis frequenter eorum libros legerit, & intellectu naturæ opera viderit, inspirãte Deo, inueniet quod quærit. Et qui in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus promptus esse nõ poterit. nam liber librum exponit, & aperit, ac sermo sermonem: quia quod

quod in vno eſt diminutum, in alio eſt expletum. nos vt aliquid lucis lectori adderemus, hoc ſubiectum, quod varijs cõſideratur modis, pro cõfuſione intellectus hominum nõ intelligentium hanc artẽ, dicimus cum philoſophis, vnicã eſſe rem, omnia in ſe concludentẽ, quibus opus habet. in qua agens iunctum eſt, & ꝓportionatum à natura in mineris cũ ſuo patiẽte. ita vt ibi ſit figens & fixum, tingens & tinctum, album & rubeũ, maſculus & fæmina, ſimul compoſita. & hoc eſt quod *Hermes* tabula ſmaragdina nobis inſinuat atq; ante oculos ponit. nã à veritate ſuæ doctrinę, cõtra detractores ac ignaros, qui illam negabãt, initium faciens, ſe rẽ expertam ac minimè dubiã tradere affirmat. multi enim naturales philoſophi, opinione veritatis, ab indicio quodã exteriore rerum naturalium, aut alicuius affectus apparẽtia falſa, vel ſcriptorũ authoritatibus ducti, audent affirmare quæ nunquã re ipſa ꝓbarunt. At noſter *Hermes* experimento ſolo, certitudinẽ iſtius artis aſſerit. nã quod expertum eſt, id certum eſſe cõſtat. Deinde cõparatione quadã ad ſimilitudinẽ creationis mundi facta, artificiũ chy-

nicum ab vno habere exordiũ oſtẽdit. quod vnum ex plurib. cõponi, p ſuperius & inferius nobis manifeſtare voluit, quorum hoc cõtinens, aliud verò eſt cõtentum. non ignoro multos hic citra iudiciũ fabulari, veluti ſi *Hermes* diuiſionẽ lapidis nobis inſinuare voluiſſet, hoc eſt vt in partem ſuperius aſcendentẽ, & inferius manentẽ, materia lapidis ſequeſtraremus. verũ illos à ſcopo aberrare, ipſa docendi ratio oſtẽdit; ſtultum enim eſſet operationẽ docere, antequã ſcias circa, quã materiam verſari debeas. itaq; *Hermes* vera docẽdi methodo vſus, primo materiei cõditionẽ explicat, vt eã quiuis ingenio prędítus cognoſcere queat. deinde quomodo tractanda ſit, aggreditur. quibus abſolutis, excellẽtiam ac vtilitatem eius paucis docet. quia igitur iſta materia vna, ſimplex ac indiuidua apparet, ex qua hoc magiſteriũ cõficitur, ne quis rei apparentia deluſus, vnicum quid ſimpliciter eſſe exiſtimaret, nõ ſolum ex diuerſis partib. cõpoſitã eſſe, quarum vna contineret aliam, vnaque ſuperius, altera verò inferius eſſet, verùm quales illæ partes ſint ac cuius naturæ, exactius ante oculos ponit ac explicat.

ac

ac primò, ne quis existimaret ea diuersa esse, certum ac indubitatum esse dicit, idem esse superius cum eo quod est inferius, etiam si diuersæ res appareant. nam vt omnia ab vno meditatione vnius facta sunt, sic omnes res, hoc est metalla nostra ab hac vna re fiunt adaptatione. Cæterum, quia ad plenam materiei siue subiecti lapidis cognitionem, non sufficiebat generaliter de ea locutũ esse, ideò voluit eius conditiones planius explicare, vt tanquam manu duceremur ad eius intelligentiam. itaque quatuor illi tribuit, nimirum quod pater eius sit sol, mater luna. quod ventus portauerit in ventre suo, & terra nutriuerit. Hæ circumstantiæ, etsi à plurimis ad operationum modos deflectantur, tamen præcipuè ad materiæ cognitionẽ facere, nouerunt illi, qui subiectum lapidis exactè intelligunt. idipsum si quis fuerit adeptus, nihil restabit quam vt operi se accingat. quod fiet separando terram ab igne, subtile à spisso, suauiter magno cum ingenio. in hac separatione ascendit terra in cœlum, iterũque descendit in terram. recipiens vim superioris ac inferioris: superius est sol, inferius luna,

quæ

quæ vbi coniuncta fuerint, ac in terram conuersa, habebis quod optas. Sol enim & luna precipuas partes in hoc magisterio sibi vendicant. nam quemadmodum sol, corpus est, omnium quæ in cœlo sunt & terra nobilissimum, in eoque virtutes omnes naturales reconditæ manent, non sine ratione pater ac parens omnium est vocatus. vtpotè in quo omnis seminaria virtus, ac formalis delitescit. ita noster sol, nimirùm sulphur, masculina vis, & vniuersale artis semen, generationis potissima causa est. Et quēadmodum homo solus generare non potest, nisi sui seminis receptaculum habeat, ita nostrum sulphur per se sterile est, sed coniunctū fæminæ suæ, hoc est lunæ, fœcunda prole lætatur. ideò luna mater dicitur, tanquam solis vxor, quæ sulphur in sua matrice gestat. nam sicuti sol suos influxus vitales imprimit in hæc inferiora per lunam, ita in nostro opere, sol lunæ complexibus adiutus, nostrum producit fœtum. Et hoc opus hic labor est antequam contingit. nam primò ventus in ventre suo portare patrem debet, vt sic in cœlum ascendat: in quo postquam aliquantisper hæserit, cœlestibus

stibus virtutibus ornatus, in terram descendere cogitur. quæ non solum illum fouet, sustentat ac nutrit, sed ab eo vim illam superiorum recipit. ex quibus nostra proles superiorum ac inferiorum particeps producitur. natura siquidem per circulationis motum, ascensus & descensus continuatum, generationes omnes propagat in finem vsque seculi. Interrogabis fortassis, quidnam sit illud quod ascendit, & descendit? respondemus esse ignem seu sulphur nostrum mercurio iunctum, qui sine intermissione à centro sursum eleuatur ad cœlum, neque ascendere aut descendere absque artificio vllo modo posset. Hac ratione aquarum grauiora corpora, ignis beneficio per sublimationem in aërem transmutata, sursum feruntur à superficie terræ, iterumque in suum graue corpus vnde surrexerant, reuertuntur: & spoliata priori natura, grauitatem induunt. Verùm quæri adhuc non immeritò quis posset, cur Hermes dicat, portauit eum ventus potius quam aër? respondemus, celerius deferri ignem per ventum, quam per aërem. nam in arte nostra Mars noster ig-

nem

nem requirit maiorem vt per ventum aſcendat, quam Mercurius, qui leui igne motus, ſurgit in aërem. ex quibus ſatis clarè apparet, Hermetem ipſius naturæ generationem per ſuperius & inferius fieri docuiſſe. quæ duo à natura coniuncta, per artificem diuiduntur, ac denuò vniuntur vt generare poſſint. quia nihil generare poteſt in ſe ipſo, ſed in alio quod ex ſui natura ſit. & hoc naturæ magiſterio generatur primo Saturnus, deinde reliqua metalla, vt fuſius per praxim oſtendemus. Qui igitur Solem Lunæ coniunxerit, & igne ſuaui fœtum eorum in ſua terra nutriuerit, medicinam illam perficiet, de qua loquitur Hermes, ſic habebis gloriam mundi, & fugiet à te omnis obſcuritas. nam reuera ſi quæ ſit in toto mundo gloria quæpiam temporalis, in iſto comperies artificio. quo quidem obſcuritatem tum corporis, tum mentis à te propulſare protenus valeas. quia in hac medicina ſiue medicamento, facultas & fortitudo fortis ſupra omnem medendi methodum latet. His ſummam rerum complexus, ad operandi modum deſcendit, quem poſtea latius explicabimus.

Qui Hermeti succefferunt Philosophi adepti, eandem doctrinam sequuti, multas nobis de vnitate materiæ reliquerunt sententias, ex quibus paucas in medium adferemus, ad eximendum omnem de vnitate materiei scrupulum. ita vt quiuis facilè intelligere poterit, artem nō consistere in superflua rerum multitudine, sed in vnica tantum, quæ continet omnia quę ad operis integritatem sunt necessaria.

PHILOSOPHVS.

Opus nostrum sit ex vna radice & duabus substantijs Mercurialibus crudis assumptis ex mineris tractis puris & mundis igne coniunctis amicitiæ vt exigit ipsa materia assiduè coctis vsque dum ex duobus vnum fiat.

EXPLICATIO.

Hæc verba si quis diligenter consideraue-rit, manifestè cognoscet quod lapis philosophorum ex natura suæ originis, sit vna simplex res indiuidua, quia sicut à natura generata est, ita sola hoc magisterium intrat. sine additione alicuius rei extra naturā suæ speciei, & quamuis vnam esse radicem, hoc est materiam siue subiectum lapidis, dicamus tamen

tamen duabus ſubſtantijs mercurialibus cõſtare, hoc eſt agente & patiente intelligendũ eſt. duo etſi numero ab vnitate diſtent, re tamen vnum ſunt, & ſubiectum in quo inſunt, nõ minus vnum dici meretur, quã lac, quod butyrũ, ſerum, & caſeum continet. quæ tria etſi nõ appareant, in ſe autem diuerſa ſunt & ſeparata, & amplius in vnum redire nequeunt. at noſter lapis, quamuis vnus ſit, ſubſtãtia & natura, & ex pluribus rebus cõpoſitus, ex quibus ſua perfectio cauſatur, non occultè ſed manifeſtè oculis partium diuerſitas deprehenditur. quæ tamen extractæ, ac ſeparatæ, igne coniunguntur amico, hoc eſt, non violento. nam (vt inquit philoſophus) vnum continet ſeu coniungit, duo componunt medicinam. itaque ſunt in vno corpore iuncta tria: quod ſi alicui id mirum videatur, is conſideret quomodo in vno ſemine, tres contineantur ac creſcant ſubſtantiæ, in vnum indiuiduum. ita noſter lapis, compoſitus ex albo & rubeo corpore, & ex ſpiritu Mercuriali volatili, lapidem philoſophicum conſtituit.

PHILOSOPHVS.

Scientia nostra per diuersa non perficitur, sed solum per vnicam rem, cui nihil addimus nec diminuimus, sed superflua tantum remouemus, præparatione sola præparando.

EXPLICATIO.

Lucas asserit, pluribus rebus nos nō indigere, nisi vna. & fundamētum propter quod multi perierunt vnum quid esse. id cōfirmare videtur alius philosophus, dum dicit: nolite compositionis pluralitatem curare. adeò vt clarè & manifestè videamus diuersas res, id est varias non perficere opus nostrum, sed tantum vnicam rem, id est vnum subiectum cui nihil addimus nec diminuimus, sed separatione tantum remouemus, quod est superfluum. est autem superfluum omne id quod vnionem impedit. & hac sententia facilè refellutur ij qui diuersas tres miscendo, vtpote sulphur argēto viuo, mineralia mineralibus aut metallis, vt aurum mercurio aut suis mēstruis, nobis materiam lapidis cōponere satagunt. non animaduertentes quomodo in

ipso

ipſo philoſophorum limine cæcutiant. nam ſi materia vna eſt,&continet ea quibus opus habet, perficiturque per vnicam rem quæ illi ineſt, quid opus eſt additamento auri aut alterius rei?

PHILOSOPHVS.

In compoſitione noſtri diuini operis, non eſt niſi vna ſola materia, quam aquam propriè vocant, vna actio nimirum decoctio quæ fit in vno vaſe præter amotionem ab igne.

EXPLICATIO.

Hæc ſententia etſi vnam doceat materiam, tamen multis occaſionem errandi dedit, eo quod materiam aquam vocet. vnde plurimi varias metallorum ac mineralium aquas excogitarunt, ad metallorum tam perfectorum quam imperfectorum diſſolutionem, vel potius corroſionem . ex quibus lapidem conficere tentarunt: quos *Augurellus* egregiè taxat, cùm dicit, quod ſunt aliæ ex alijs quærende fontibus vndę, iã quibus ex ſeſe nulla vi, leuiter aurum humeſcat, nullo alterius veniente liquoris auxilio, exteruis ꝓpria ſoluatur in vnda. aqua enim hæc Mercurialis eſt,

ac omnium metallorum materia prima, ac cùm ea ſoluuntur omnia metalla, quæ in alia non poſſunt ſolui aqua. quod ſi huius aquæ naturam intellexiſſent pſeudochymici, quæ ſuam in ſe perfectionem continet, prætereà animaduertiſſent hanc aquam ſola decoctione in vnico vaſe perfici, non vſque adeo à via aberraſſent, nec tam varijs operationum modis, ac furnorum & vaſorum numero ſe ipſos vexaſſent. nam (vt dicit philoſophus) oportet quod ab exordio ſit vna ſola materia, in qua ſit virtus corporis & ſpiritus & animæ. quæ non indiget aliquo extraneo adminiculãte, ſed in ſe habeat omne illud, quod indiget ad ſuam perfectionem, in regiminis adminiſtratione, ſiue ad ſublimationem, ſiue fixionem, ſiue liquefactionem, ſiue ad congelationem, ſiue quicquid talium eſt, & nihil aliud facere habet artifex, quam ſuauiter coquere, & mirabila opera. quæ quidem eueniẽt ſolerti cura, notare, & maxima cum delectatione cõſiderare intellectu & oculis intueri, ſicuti pueri in ludis delectãtur, ac nunquam ſatiantur, ita hæc ars ludus puerorum dicitur, cũ propter iucunditatẽ, tũ facilitatẽ.

PHIL.

PHILOSOPHVS.

Natura nobis præparauit vnam ſolam materiam, quam ars componere per ſe minimè poteſt.

EXPLICATIO.

Non modò vnicum lapidis ſubiectum à natura & non arte compoſitum eſſe, hac ſententia declaratur, verùm ignorātiæ accuſantur ij, qui arte præparare nobis lapidis ſubiectum volunt, & ſic vnum appellare. ſi enim ars non poteſt talem materiam præparare, quid eſt cur ſtolidi iſti homines tantis laboribus ſe fatigent, ad ſubiectum lapidis ſuis mixtionibus, coctionibus, ac præparationibus producendum? ſpermata enim metallorum non ab arte ſed natura fiunt. quēadmodum & reliqua ſemina. & magna eſt dementia, velle imitari naturam in omnibus ſuis operationibus. nam ſpermata metallica, artificialiter nemo perficere poteſt. ſed metallum diſponere ad ſui productiuam generationē, vtique noſtro poſſumus artificio. nam ſemina metallica nimirum duas illas ſulphureitates à natura & ab elementis accipimus, & per coitum in vaſis artificialibus commiſcemus,

quæ commixtio coitus eſt per artem diſpoſita ad metalli generationẽ, quia ſemen maſculinum nimirum ſulphureitas intrinſeca tãquam maturius, perfectius, & actiuius coniungitur artificio cum ſemine fœminino immaturiori veluti paſſiuo, & quia ſemen maſculinum magis actu in ſe continet elementa agentia, vt ſunt aër & ignis, ideò maturius & actiuius ad digerendum & coquendum ac penetrandum eſt. fœminæ verò ſemen actu magis continet elementa indigeſta, & paſſiua, ideò digerenda veniunt, vt ſunt terra & aqua. quibus in vaſe vitreo effuſis, & permixtis, nulla re extranea ſibi addita, calore tantùm accidentali & extrinſeco excitante calorem intrinſecum, maſculina elementa, ſemen fœmininum digerunt ac maturant. vnde metallum generatur perfectum. Itaque homo de ſuo nihil adfert præter miniſterium, & natura nihil niſi id in quo iam agere deſierat. videat igitur Voghelius Nuperus ſcriptor, quomodo cum philoſophis ſua conueniant deliria. qui argentum viuum metallorum, verum artis principium eſſe dicit, id ſiquidem philoſophicè

in-

intelligeret, in eandem iremus ſententiam. verùm dum ſuis vulgaribus ſublimationibus, calcinationibus, contritionibus, amalgamationibus, illum ex calcibus tam perfectorum quam imperfectorum metallorum præparare ſatagit, vti in ſuo libello de lapidis phyſici conditionibus inſcripto docet, non poſſumus abſurdã, & ab omni philoſophia alienam ſententiam, approbare. quin potius mirandum, quomodo homo ſatis doctus atque oculatus, non animaduerterit ſuam opinionem ex diametro philoſophorũ placitis contrariari. Verùm ea eſt hodie mortalium calamitas, vt maior pars in legẽdis philoſophis, non quærat eorum abdita atque obſcura dicta ſcrutari, ſed an reperire aliquid poſſit, quod conceptam opinionem, confirmare queat. hac ratione ferè omnes, præoccupato iudicio, in philoſophorum libris verſantur, nihilque præter vmbras ac inanes phantaſias reportant. Sic Voghelius ſpiritum ex perfectis vel imperfectis metallis eductum, lapidem conſtituere dicit. & dum hoc totis neruis probare cõtendit, varias philoſophorum ſententias ſiniſtrè intellectas,

in suum sensum peruertit. cui hoc tãtum respondere volumus, ex metallis perfectis, aut imperfectis, non opus esse spiritum educere, cùm natura nobis illum tanquã ancilla, præparauerit. quem nos in nostris & non vulgaribus metallis latentem, educimus: rursusq; corpori coniungimus, quo sic Mercurium habeamus philosophorum vegetabilem. nã (vt inquit philosophus) ars pręsupponit rem aliquam à natura sola creatam in qua pręstat auxilium ipsi naturæ, & hæc arti proinde cõstat artem indigere materia, quæ sit à natura creata & non ab arte, nã ipsa natura procreat naturas spermaticas, tãdem ars coniunctionem in eis operatur, ad finem tendens in quem natura crearat, non enim artis est creare spermata, at postquã à natura creata sunt, ars coniungendo, veluti naturę ministra succurrit, nihil addens formæ nec materiæ, est igitur generationis prima causa naturalis, & secunda solum artificialis, quæ tamen posterior absque priore nihil efficit. vnde illud dictum naturæ, absque me (inquit illa) qui materiam exhibeo, nihil vnquã efficies. & absq; te qui ministras, non possum hoc opus sola

exc-

exequi, ſed per me & te breui tempore fiet, ſolum igitur id quod natura generauit, & nobis reliquit ſumendum ad artem eſt, & non extrahendum beneficio ignis ab aliquo corpore.

PHILOSOPHVS.

Materia noſtra varijs nominibus à philoſophis appellatur, quamuis vna ſemper & eadem res ſit, ex vnica materia ſola conſtans, & diuerſitas rerum quæ in illa reperiuntur, cauſatur ex diuerſitate partium ſuarum.

EXPLICATIO.

Totam huius artis difficultatem in eo cõſiſtere palàm eſt, quod materia ex qua deducendum hoc arcanũ autumant, varijs nominibus adumbratur, ne quibuſuis innoteſcat. Et Morienus dicit, quod multiplicia ſunt eiuſdem radicis nomina, ſed vnam radicẽ huius magiſterij atque materiam inuenies. nec dubium quin varia nomina, quę lapidis ſubiecto tribuuntur, nõ ſolum multis hactenus impoſuerint, ſed etiam hodie doctiſſimos quoſque ita irretitos teneant, vt vix extricare ſe queant. nam cùm vnã dicunt, mille tamen myriadum nominibus nuncupant. nomine

mine videlicet omnis rei quæ vel in terra,vel in mari,vel aëre,reperitur.nec non omnibus rebus aſſimilauerunt: nunc maſculo, nunc fœminæ, nunc cœlo & terræ, nunc corpori ac ſpiritui, nunc microcoſmo, maſſæ confuſæ, & alijs infinitis rebus. Et quia in lapidis operatione colores omes qui hodie in mundo ſunt ac excogitari poſſunt, apparent, fit vt ſecũdum diuerſos colores in opere apparentes, nempè nigredine, rubedine, & albedine,varia indiderint nomina.vndè entimonium,pix,carbo, caput corui, dixerunt à nigredine. talcum, marmor, argentum, ebur, flos ſalis,ab albedine. ſic crocũ, cinnabarim. minium,ſanguinem humanum,à rubedine. Et luce meridiana clarius videmus, varietatẽ nominũ nõ in re ipſa,ſed in partium diuerſitate cõſiſtere. quæ partes (vt antea diximus) etſi oculis res diuerſæ appareant,re tamen vnum & idem ſunt. nam ex vno reliqua proceſſerunt. ex groſſitie enim aquæ, generatur terra, in qua noſtra metalla latent, quæ terra debet denuò reduci in aquam ſuam,ex qua proceſſit, & tunc fit aqua permanens.

PHI.

PHILOSOPHVS.

Materia ex qua diuinum hoc opus nostrum componitur, est nisi vna sola res in omnibus & per omnia similis illi materiæ quæ natura vtitur in concauitatibus terræ ad metallorum procreationem.

EXPLICATIO.

Aurea sententia non tantum vnicam esse materiam, sed cuius naturæ sit demonstrans. quam si quis non intelligit, abstineat ab arte, ac cogitet se minimè ad eam natum. cùm enim similis sit illi materiæ, qua natura in terræ cōcauitatibus vtitur, ad metallorum procurationem, facilè apparet, nec vegetabilibus, nec mineralibus, imò nec ipsis metallis, vt metalla sunt, vim talem inesse. cur igitur impostores quærunt metalla in primam materiam reducere? cùm natura ex eis non procreet metalla, & materia similes esse debeat ei, qua natura vtitur ad metalli generationem. & notandum, philosophum nō dicere eandem, sed similem tantum materiam, quam si inuenire poteris, sagacissimæ naturæ indagator eris.

PHI-

PHILOSOPHVS.

Tres ſunt lapides, tres ſales, ex quibus totũ magiſterium conſiſtit. triplex eſt lapidis materia, aurum, argentum, & aqua philoſophica. Tres ſunt aquæ apud philoſophos, nimirum ſolaris, lunaris, & mercurialis, quæ poſtrema corpora ſolis & lunæ, in ſuas aquas reſoluit.

EXPLICATIO.

Cùm Lapis ſit compoſitus ex corpore & anima, carere ſpiritu minimè poteſt. quia ſpiritus eſt vinculum animæ & corporis. quare etiam ex tribus compoſitus dicitur. ſcilicet anima, ſpiritu, & corpore. nonnulli dixerunt eſſe vnum in tribus, & tria in vnum. quod in ſe contineat, corpus quod ſtat, anima quę viuificat, & ſpiritum qui tingit. & in ſpeculo dicitur, ex ſpermate auri in matricem Mercurij per coitum proiecto, per commixtionẽ primam lapis philoſophicus ex re vili cõſurgit in precioſiſſimum theſaurum. Hinc Verax cùm ſoluitur (inquit) ſol ſuo ſimili, id eſt mercurio, erit germen prægnans. item natura huius lapidis albi & rubei, tenet medium inter metalla & argentum viuum. proptereà philoſophi dixerunt, tria, & hæc tria ſunt vnum,

num,& in vno ſunt tria,corpora duo, & ſpiritus vnus, ſol videlicet, luna, & mercurius, quæ omnia ſunt ex vno. & notãdum,per lapides hic, vt multis alijs in locis, ſubiecta lapidis intelligẽda eſſe. Prima fronte hæc ſententia ijs quæ antea diximus,plurimis aduerſari videbitur. nam cùm hic tres ponat lapides,& ſales, ex quibus totum magiſterium conficitur, & triplicem dicat eſſe lapidis materiam,quomodo illa tria vnum eſſe poſſint, meritò dubitabunt. verùm dubitare deſinent, ſi in memoriam reuocauerint, illa tria vnum eſſe. nam philoſophus ſe ipſum explicans,dicit triplicem eſſe materiam,nimirum aurum,argentum,& aquam philoſophicam. quæ tria poſtea tres aquas vocat, nempè lunarem,ſolarem,& mercurialem.quæ poſtrema ſolis & lunæ corpora in aquas reſoluit,& ſic fit vna triplici natura conſtans. quia ea corpora ex mercurij aqua compoſita ſunt, &dum in minera ſua exiſterent,vnum efficiebant. caloris verò beneficio diuiſa, plura oſtendunt, quæ in id quod erant, à principio redire debent, vt ſic vnitatem veram conſtituant,cùm antea tantum cõiuncta vnum indi-

diuiduum efficerent. At post eorum dissolutionem, ac in aquam conuersionem, tandem permanẽtem aquam efficiunt, eo quod amplius separari nequeunt. vnde reuera ac propriè vnum vocari merentur.

PHILOSOPHVS.

Est lapis vnus, vna materia & medicina vna, in qua totum consistit, magisterium cui nullam rem extraneam addimus, nec etiam ipsam imminuimus, sed in præparatione superflua remouemus, & hoc fit in purificatione, quæ per solutionem perficitur.

EXPLICATIO.

Supra hanc sententiã satis explicauimus. sed notatu dignum est dum superflua remoueri in præparatione, dicit: quæ fit purificãdo materiam per solutionem. ex quo discere debent philosophiæ candidati, vt materiam talem eligant, quę per solutionem solam purificetur. nos enim materiæ nostræ nihil addimus, sed solum superflua remouemus, purificando per solutionem. quare non opus est ad præparationem nostri subiecti, nisi soluere materiam. nam in illa solutione se-

pa-

paratur superfluum. quomodo hæc sententia conueniat cum ijs qui ab auro aut argento subiectum lapidis petendum putant, iudicare poterunt docti. quod si Bernardus ille à portu Aquitanus, tamen à chymiæ portu longè dissitus, hanc sententiam melius ruminasset, facilè cognouisset, non opus esse ex alio corpore paucis (vt dicit) noto elicere argentum viuum suum imaginarium quod primo quoque contactu & attritu cum auro non minus libenter miscetur quam aqua aquæ. vt in præfatione cuiusdam libelli, non ita nuper abortiti persuadere conatus est. nam si materia nostra vna res est quam ignis non tetigit (vt inquit philosophus) & sola vt à natura producta est, ita absque miscellanea opus ingreditur, & per solam solutioné, quæ operis est principium, purificatur, & à superfluitatibus spoliatur, quomodo esse potest argentum viuum ignis beneficio, ab aliquo corpore extractũ. deinde, si huic argento viuo ita extracto, addi debet aurũ vulgare, quomodo vnam rem indiuiduam esse dicunt Philosophi, eorum materiam natura enim re vna cõtenta est, sed valeant eiusmodi

rabu-

fabulæ, qui ſuas imaginationes nulla aut ratione aut authoritate firmatas in publicum emittere non erubeſcunt.

PHILOSOPHVS.

Iſte lapis ſiue compoſitum eſt res vna duntaxat & vnius naturæ, & eſt natura munda, clara, de ſuis mineris proprijs quam tranſmutat regimen ignis.

EXPLICATIO.

Hic lapidem vocat cõpoſitum, cùm tamē res ſit vna,& vnius naturæ,extracta à ſuis mineris, quam regimen ignis tranſmutat, quia primo ſeparat quæ coniuncta erant: deinde rurſum congregat ac vnit, ita vt amplius ſeparari nequeāt. videant igitur illi qui ex mēſtruo vegetabili, varijs rebus animato (vt dicunt) ac tandem cum auro & argento coniuncto,nobis ſubiectū lapidis philoſophorū producere fruſtrà ſtudent,quomodo eorum opinio cum philoſopho conueniat. qui etſi cõpoſitum dicat eſſe ſubiectum,tamen rem vnam &vnius naturę affirmat: quia à natura compoſitus eſt, & nõ ab arte. quod compoſitum non ſimpliciter igne tranſmutatur,ſed regimine ignis,quia latentes naturas,hoc eſt

ſper-

ſpermata producit in actum. continet enim aurum & argentum non actu ſed potentia, vnde verſus:

Res rebis eſt bina coniuncta, ſed tamen vna,
Soluitur vt ſint prima aut ſol aut ſpermata lunæ.

PHILOSOPHVS.

Opus noſtrum fit ex vili materia homogenea, clauſa in vnico vaſe, & in vnico furno, quæ continet id quod eam perficit. nam ſolo regimine ignis perficitur imitando naturam.

EXPLICATIO.

Ex vna & indiuidua materia componi debere lapidem, ſatis oſtenſum eſt in ſuperioribus, nunc verò non tantum vnam docet eſſe ſed cuius naturæ ac conditionis ſit addit, nimirum vilem, ac homogeneam, quod verò ſit vilis teſtatur Morienus, aſſerens omnem rem quæ magno emitur pretio in huius operis artificio mendacem eſſe ac inutilem reperiri. Et Raſis (inquit) laudetur Deus, qui creauit chariſſimum ex viliſſimo. lapis enim vilis eſt, & pretioſus, in ſe cõſideratus vilis eſt, ſed quantum ad effectum pretioſiſſimus. quia in eo ſunt omnia metalla in potentia, & præſertim aurum. ideò dicitur habere in ſe quod

eum perficit. homogeneam dicit materiam, quia quæcunque in ea cōtinentur, eiusdem sunt generis & naturæ. solo regimine ignis perfici dicit, quia nihil prodest scire vnde cōstet lapis, nisi similiter eius præparatio innotuerit, quam difficillimā omnium rerum appellauit Senior, & alius dicit. regimen eius maius esse quam rationi comprehendi queat, vnde regendi ignorantia plurimos errare facit. & Lullius dicit, nihil in hac scientia secretum, nisi modus operandi.

PHILOSOPHVS.

Oportet sumere argentum viuum, agente suo nimirum sulphure mixtum, & vnico vase, vnico furno, includere, & supra ignem Philosophicum continere. omnisq; species præter materiam solam à qua minera sumit originem relinquenda.

EXPLICATIO.

Supra dixit materiam lapidis similem debere esse ei materiei, qua natura vtitur in terræ concauitatibus, ad metallorum procreationem. nunc hanc materiam vocat argentū

vi-

viuum ſulphure ſuo mixtum, vt ſic innueret de quo argento viuo loqueretur, vulgareq́; excluderet ſuo agente priuatum. hæc materia igitur quæ vnico vaſe concludi, & vnico furno perfici debet, quamuis vna ſit in ſubſtantia, & natura, tamẽ ex pluribus rebus, ex quibus ſua perfectio cauſatur, componi iam declaratum eſt: eamq́ue compoſitionem nõ arte ſed natura fieri, quæ tãquam ancilla nobis eam præparauit, & vti generata eſt, ita in hoc magiſterium intrat, ſine additione alicuius rei alterius. nam noſtra intenſio non eſt in principijs naturam ſequi, nec in proportione & miſcibilium elementorũ, nec in modo miſtionis ipſorum ad inuicem, nec in æquatione caloris inſpiſſantis. quare remota illa principia reijcienda, ac propinquioribus vtẽdum. nam cùm nos ignoremus proportionem, qua natura vtitur in creandis rebus, fieri non poteſt vt in illis principijs illam imitemur. noſtram igitur materiam à qua minera ſumit originem, ſi acceperimus, non errabimus.

PHILOSOPHVS.

Vnus est lapis siue vna res tantum, quia corpus in suam naturam est redactum, videlicet in aquā suam, hoc est in primam suam materiam. quia prima materia corporum, est aqua vnctuosa, & tunc primo dicitur vna res, cum corporis substantia & aqua indiuisè vniuntur. & dicitur tunc lapis in libris Philosophorum, & ab illo lapide extrahitur aqua sua propria.

EXPLICATIO.

Vnitas lapidis, hoc est eius subiecti, hic denuò confirmatur, sed non eo modo vt in superioribus. ibi enim dicebatur subiectum vnum esse, eo quod reuera vnum numero, omnibus apparet. verum quia in illa vnitate vt antea dixi plura coniuncta existunt, quæ oculis cernũtur, impropriè vnum vocari videbatur. sed tunc vnum rectè nuncupabitur, quando corpus in primam materiam est redactum. hoc est in aquā vnctuosam, & tunc meritò vnum appellabitur. & hoc est quod dicit quidam, lapis noster dicitur vna res, quando corporis substantia, & aqua præparãtur indiuisè, ita quod vnum illorum separari ab altero non potest. ex quo colligimus, cor-

corpus quod in aqua latitabat, in operatione ab aqua ſeparari, deinde temporis longitudine ita attenuari ac diſſolui, vt denuò in aquam ſuam, ex qua proceſſerat, reducatur. at tunc quia ſeparari ab ea amplius non poteſt, meritò vnum dici meretur. & vocatur (inquit) apud philoſophos tunc lapis, ex quo extrahitur aqua ſua propria, quę eſt fermentum noſtri lapidis, & perfectio tota. atque hinc patet quam variè accipiatur lapis apud philoſophos. nam dum corpus redactum eſt in aquã, eſt lapis, ſiue vt alij volũt, aqua permanens, ex qua extrahitur aqua ſecũda, ſiue vt author noſter dicit aqua ſua propria, quæ lapis etiam apud philoſophos vocatur. vt patet per philoſophum dicentem : ſi quis lapidem noſtrum non inuenerit in hora ſuæ natiuitatis, non expectet alium loco ſuo. diligenter igitur conſiderandum quid philoſophi per lapidem intelligant, ne variæ ſignificationes nos irretitos teneant.

PHILOSOPHVS.

Sciendum quod ipſe lapis, ſiue compoſitum, vna eſt res duntaxat, & vnius naturæ, & in ipſo eſt totum illud quod ei eſt neceſſarium, & in eo ipſo eſt

illud quod eum meliorat, & illud quod ipsum complet. & non est istud compositum quod est unum, opus aliquorum animalium, aut vegetabilium, sed est natura munda & clara de suis proprijs mineris.

Explicatio.

Hac sola sententia concluditur quicquid antea dictum est. Et qua ratione subiectum lapidis compositum vocetur. & quod illud compositum sit, vna tantum res, & vnius naturæ, supra satis explicatum est. nunc ad clariorem intelligentiam, dicit in illo esse quod necessarium est. Est autem ei necessarium, quod totũ opus complet. hoc autem nihil aliud est quam sulphur suum innatum, ac illi à natura incorporatum. vnde quidam lapidem suum omnem rem dixerunt, quia omnia in se habet quibus indiget, & quæ ad sui perfectionem necessaria sunt. præterea ne quis varietate rerum confunderetur, hoc compositum quod vnum numero est, non esse opus animalium, aut vegetabilium, sed esse naturam mundam, claram, è suis mineris extractam, asserit. vnde si quis plures lapi-

pides, aut diuersas ad lapidis confectionem dispositiones esse imaginatur, is perbelle sibi ac alijs imponit. cùm vnanimi consensu scribant Philosophi, vnum esse lapidem, vnam medicinam, & vnum opus. quis iam non assequitur tantam rem tam apertè à nostris philosophis demonstratam? Desinant igitur quærere per ambages quod recto tramite euntibus sese offert.

Plures authorum sententias adferre potuissem, nisi breuitati studerem. Et iam satis constare arbitrarer vnum esse subiectum, circa quod Chymicus, vt medicinam producat, laborare debet. verùm quia cuiusque artificis interest, subiectam quam tractat materiam, omnino perspectam habere, vt qualis illa sit exploratum habeat, quo expeditius in omnem artificij speciem, & decorem flectere illam possit, & torquere: ideò videndum, quomodo Philosophi illam nobis descripserint, hanc veteres quicunque sunt assecuti, varijs adumbrarunt figuris ænigmaticis, deceptorijsque similitudinibus, comparationibus, vocabulorum fictionibus, vt posteris eius materia saltem foret occulta.

eiuſque nulla vel minima poſſet haberi notitia. proprio autem nomine nullus eam appellauit, nam (vt inquit ille) ſi eam proprio nomine nominarem, ſtulti deriderent. Hinc fit vt propter incertitudinem, omnia tentent artifices, & inter experiendum cum ſuis, alienas opes abſumant. neque etiam nos philoſophorũ leges violare decreuimus. ſed quæ ad hanc rem illuſtrandam ab eis varijs in locis traduntur, adferemus. ex quibus quilibet à Deo illuſtratus, facilè colliget quid & quale ſit ſubiectum circa quod verſari debet.

Subiecti philoſophici per circumſtantias deſcriptio, vt quale ſit facilè intelligamus.

SI felicitari deſideras, vt benedictionẽ philoſophorum obtineas, viuit Deus, in æternum. viuit veritas tecum. vnum eſt in mundo obiectum omnium, quod proprè dicitur philoſophorum. in teſtudine manet. album & rubeum in ſe continet: vnum maſculus, aliud fœmina nuncupatur, animale, vegetabile, & minerale: nullum reperitur tale: acti-

uam vim habet & passiuam, substantiã mortuam & viuam secum habet. spiritum & animam, quam vocant ignari rem vilissimam: quatuor cõtinet elementa in suo gremio cõtenta: vbi est reperitur. ab omnibus cõmuniter habetur: paruo redimitur pretio: libra habetur pro vno solido. Ascendit per se, nigrescit, descendit & albescit, crescit & decrescit, res est, quam terra producit, & de cœlo descendit, pallescit & rubescit: nascitur, moritur, resurgit, postea in æternum viuit. per plures vias, tendit ad finem. sed propria decoctio est supra ignem: est lenta modesta, fortis, augmentatur quousque securus quiescendo rubificetur. Hæc est iuxta votum lapis dictus philosophorum. Lege & perlege quæuis clarius nunquam inuenies: & si adhuc fueris ingenio tardus, tunc nunquã huius artis eris gnarus. Deo laus.

Consideratio veræ rei quę perficit, est cõsideratio electorum puræ substantiæ argenti viui. Sed ex quibus magis argenti vini substantia elici possit quæri posset. & nos respõdentes dicimus: quod in his in quibus est, ex illis elici possit. Ergo fili cõsidera, & vide vnde

de ſit illa ſubſtantia,& iſtam accipe,& nō aliam, ſi venire deſideras ad verum intellectū. Dico tibi in charitate Chriſti, quod nullo modo inuenire potuerimus, nec philoſophi ſimiliter inuenire potuerunt,aliquā rem perſeuerātem in igne, niſi ſolam vnctuoſitatem illam perfectam,non cremabilē,&illa quando eſt præparata, vt oportet, omnia corpora quæ tangit ad perfectionem deducit.

Lapis omnibus nūcupatur nominibus,cuius nomē proprium eſt tantum vnum,quod ꝑfectò quatuor literis notatur,vnde verſus:

Hæc luna vocatur nominibus omnibus vna.

Lapidem per deſcriptionem ſuarum radicū nominamus.nec enim aliter nominare eum poſſumus.

Lapis eſt mineralis vegetabilis & animalis, quia horum proprietates & naturas ſeruat.

Lapis ab homine aſſumptus,eſt illud quod abundat in eo,in vere, quapropter ipſum eſt animal quod corpora roborat.

Lapis eſt annulus aureus argēto coopertus, vnde philoſophus, niſi aurū & argētū viderē profectò dicerē alchimiā nō eſſe verā artem.

Lapis noſter eſt albiſſimus & citriniſſimus,

&

& in ipſo ſunt quatuor elementa, & in ipſius occulto eſt caliditas & ſiccitas, & in eius manifeſto eſt frigiditas & humiditas.

Lapis componitur ex lacte volatilium.

Lapis ex maſculo & fœmina genitus eſt, ideo maris & fœminæ in ſe proprietates habet. Pater eius pigros ad laborãdum excitat, mater fatigatos laboribus paſcit filios delicatos, recreat artus & ornat, rumpe ergo domum, frange parietes, puriſſimũ inde extrahe ſuccũ, cũ ſanguine coque vt edere poſſis. Lapis noſter eſt cõpoſitus ex corpore ſcilicet albo & rubeo, & ex ſpiritu mercuriali volatili

Lapis noſter benedictus ab omnibus eſt notus. nã in vijs proijcitur, & quilibet ipſum habere poteſt.

Lapis noſter habet duos colores, albũ & rubeum, albũ in manifeſto, rubeũ in occulto.

Eſt lapis occultus, & in imo fonte ſepultus,
Vilis & eiectus, fimo vel ſtercore tectus:
Vnum habet viuus lapis, omnia nomina diuus,
Vnde Deo plenus, ſapiens dixit Morienus,
Nõ lapis hic lapis eſt, animal quod gignere fas eſt.
Et lapis hic auis & non lapis aut auis hæc eſt.

Quia reliqui verſus qui ſequũtur nihil faciũt

ad

ad lapidis ſubiecti cognitionem, ſed tantum ad operationem, hic adſcribere non placuit, poterit lector ex libris impreſſis, reliqua, ſi opus fuerit, petere: quos non intelliget niſi operandi modum exploratum habeat.

Lapis in vijs proijcitur, & in ſterquilinijs ſuis calcatur pedibus.

Lapis noſter eſt res quam ignis non tetigit, à qua noſter mercurius ſurgit.

Scito quod hunc lapidem de quo hoc arcanum agitur, Deus non poſuit magno precio emendum, quoniam in via eiectus, inuenitur, quatenus tam pauperes quam diuites habere poſſunt.

Lapis eſt aurum Dei, ex quo lapis philoſophorum extrahitur, & totum conuertitur in nutrimentum.

Oportet te duas aquas habere, vna eſt alba, altera verò rubra, & hæc aqua eſt illa in qua congregatæ ſunt potentiæ albedinis & rubedinis.

Seruus rubicundus candidam duxit vxorem, & in iſtorum coniunctione vxore grauida remanente, peperit filium.

Lapis eſt vna res quatuor elementa conti-

tinens, & ſeptem planetas, duo quidem meantes ſunt, & quinque non meantes

Principia naturalia in operæ naturæ ſunt ſpiritus fœtens & aqua viua, quam&aquam ſiccam concedimus nominari, quia argentũ viuum in arſenicũ coagulatũ, eſt aqua ſicca.

Tactus huius lapidis eſt mollis & maior eſt mollities in eo plus quã in ſuo corpore, pondus verò illius multum eſt graue, & eius guſtus dulciſſimus, eiuſque ſubſtantia vel natura aëra, & eius odor ante confectionem grauis & fœtidus & aſſimilatur odori ſepulchrorum.

Lapis qui in hoc opere eſt neceſſarius, de animata re eſt, hunc inuenies vbique in planitie, in montibus & aquis omnibus. habétque eum tam diuites quam pauperes, eſt ſimul viliſſimus & cariſſimus, creſcit ex carne & ſanguine quam pretioſus omni cognoſcenti illum.

Eſt lapis cuius minera generatur in capite montium, & philoſophus voluit dicere mõtes pro animali. vnde dixit, fili, vade ad montes indiæ, & ad ſuas cauernas, & accipe ex eis lapides honoratos, qui liquefiunt in aqua,

quan-

quando commiſcentur ei,&ſcias quod radices minerarum ipſorum ſunt in aëre,& eorũ capita in terra, & quãdo euelluntur à ſuis locis naturalibus, audietur & erit rumor magnus in tota domo. Et vade fili cum eis, quia cito euaneſcunt.

Et ideo tibi dixi fili,quod accipias naturã dicti generis, in quo luminaria duo, & claritates earum hoſpitatæ ſunt & permanentes. quæ ſupra terram radiare non ceſſant,& ſunt ſol & luna,qui per ſuos radios ignem obſcurant. Et qui non recipit hanc materiam in opere ſuo, aſſimilatur pictori, qui formam cognitam in materia remotam & lõginquã, depingit.

Noſter lapis filius ſolis ab omnibus clamatur philoſophis, quia per ſolis influentiam, primo fuit generatus per naturam ſine adiutorio ſcientiæ, aut artis, & poſtea conuerſus in calorem naturalem, qui multiplicatur adiutorio caloris ignis, in noſtro magiſterio: vnde fuit à philoſophis clamatus filius ignis, hoc eſt, ignis naturalis, qui per ſolem generatur, & multiplicatur cum adiutorio ignis communis ad diſpoſitionem philoſophi. Et ſi ali-

si aliquis trium ignium deficeret in arte nostra totum nihil valeret, ideo apparet esse filium solis, quando per eum naturaliter est genitus. Et fit post hæc filius ignis, quoniam per illum creuit & multiplicatus extitit in virtute ignis innati. Et iterum, filius est philosophi, quoniam per eum fuit rectus & gubernatus vsque ad suæ perfectionis finem.

Malus philosophus, hic lapis est subtus te quo ad obedientiam supra te, quo ad Dominum, à te quantum ad scientiam, & nominabo eum nomine proprio & est terminus oui.

Hoc vnum quod sæpè nominatũ est, philosophi multis nominibus vocarunt, aliquãdo duobus nominibus, quandoque etiã tribus nũcuparunt. Dicã ergo vobis iam quid sit: vnum quidem est argẽtum viuum igneum, hoc etiã innuit Geber, vbi dicit esse humiditatem aëream & igneam, duo corpus in eo compositum, & tertium est aqua sulphuris, qua abluitur, teritur, ac regitur, donec opus peragatur. Argentum viuum cambar est magnesia, vel terra, vel fœmina, vel terra subtilissima, apta ad figendum.

Argen-

Argẽtum viuum de maſculo eſt auripigmẽtum vel ſulphur. oportet ergo illud ipſum commiſcere cum argento viuo igneo, & putrefacere in altero occulto ſpiritu, donec omnia fiant vnum.

Sunt aliæ circumlocutiones quamplurimæ, quæ adduci potuiſſent. verum quia hæ pręcipuę in ſubiecti cognitionẽ nos ducũt, reliqua prolixitatis vitandę gratia omiſimus. nam qui ex iſtis non intelligit qualis debeat eſſe materia, rebus ſuis bene conſulet, ſi manus ab opere abſtineat.

Quibus ſignis optima mate-*ria cognoſcatur.*

NOn ſufficit artifici ſcire materiam ſiue ſubiectum lapidis. ſed vt inquit philoſophus, totum huius rei negocium in electione & præparatione magis aptè materię potiſſimum conſiſtit, ideò optima eſt eligenda, alioqui nihil fit. vnde Morienus dicit, quod maior radix huius operis ſit in inquiſitione ſpecierum, quę ſunt meliores ad magiſteriũ: nam vnaquæquæ minera multorum eſt ge-

ne-

nerum, & ex quibuſdam facilius & vberius, ex alijs verò difficilius ac imperfectius extrahitur. Dicit etiam Lullius, quod quando voles noſtrum magiſterium incipere, non opereris niſi de melioribus naturis, lucētibus: & alio in loco, præcipimus autem vt de rebus calidioribus quas in natura reperire poteris, accipias ad faciēdum magiſterium noſtrum ab illis enim aquam calidam habebis omnia diſſoluentem. & ſi de rebus calidioribus non receperis aquam calidam & fortem, non habebis, & per conſequens diſſolutionem non habebis: & ſi diſſolutionem non habueris, neque generationem habere poteris.

Accipe lapidem noſtrum de ſummo bono, & non recipias ipſum niſi recentem cum ſuo ſanguine toto.

Species nouæ meliores ſunt quam antiquæ, & vt extrahantur ex melioribus corporibus, nam ex melioribus arboribus, meliores gummi effluunt.

Non comedas de filio cuius mater menſtruum patitur.

Non comedas de filio cuius mater ſit leproſa, quia ſi puram ſubſtantiā habemus, pu-

rum corpus creare possumus, & si masculus fuerit leprosus, & fœmina leprosa, necesse est corpus leprosum generare.

Lapis optimo tempore assumi debet, tunc enim quælibet res ad humanum venit vsum quando in sui natura perfectissima est.

Lapis noster sicut vbiq; reperitur, ita in omni tẽpore reperitur, sed nõ in omni tẽpore æqualis est virtutis, sicut nec in omni loco.

Quælibet nascentia suum proprium tẽpus habent, quilibet fructus & plantæ tunc meliores sunt, cũ maturi sunt. sic lapis noster melior est ex duobus: primo ex tẽpore scilicet quando nascitur in vere, secũdo cùm gummi æstiuo calore maturatur & effluit. nostrum enim gummi verno tempore optimũ effunditur.

Declaratum est antea, vt non opereris nisi de nobiliori materia, quam habere poteris, quia res non fit nisi secundum naturam, etsi de rebus calidioribus non receperis aquam calidam & fortem, non habebis, & per consequens dissolutione frustraberis.

Quia lapis sanguinis humani naturæ maximè approximat & generationi animalium

ap-

appropinquat, ſanguis autem in vere maximè augetur, & animalia ad commixtionem incitantur, & aues ad cubandum: ideò tunc lapidis noſtri materia elegi debet, & ad opus cõuenientiſſimè tunc applicatur, vt auis noſtra volans producatur, ſiue plumata, ſiue deplumata.

Ponatur autem Lapis in vaſe phyſico, in principio veris ſole exiſtente in ariete.

Elementum lapidis magis abundat in vere, & hoc modo natura iuuat artem, & tempus, opus, & plantæ magiſterium.

Scire debes quæ ſpecies ſint meliores ad artem pertinentes, quia multæ ſunt quæ minus valent, ſecundum miram experientiam, & perderentur labores & expenſæ, & tinctura cum eis inficeretur, quare relinquendæ ſunt, & melioribus vtendum.

De obſcuritatibus ac inuolucris Philoſophorum.

OMnis operatio propriũ requirit ordinẽ, ſine quo, pulchri laudatique nihil perfici-

ficitur, quod vllam vtilitatem adferre queat hominibus. quare qui ſacram in chymię cõtendit in artem (tot clariſſimorũ virorũ laudibus comprobatam, & re ipſa humano generi vtiliſſimam, certis præceptis vniuerſalibus conſtitutam, ac exemplis particularibus illuſtratam) niſi modos philoſophorum eam tradendi figuratos, metaphoricos, ęnigmaticos, quibus ludere ſuo more delectãtur, obſeruare ac cognoſcere didicerit, veram artis notitiam habere minimè poterit, ſed in illis hæſitans, ad labyrinthum ex quo non facilè ſe explicabit, prolabetur. atque illi eueniet quod cani Æſopico, vt vmbram pro re ſolum habeat. quid enim prodeſt ex ſuperficiè tantum ſecundum veriſimilem expoſitionẽ, res cognoſcere, ac ſonum verborum ſequi? niſi quid in illorum centro latet pariter cum ſcire, tum experiri diſcas, quod ſi quis his fidẽ adhibere noluerit, experiatur, ſin pertinax erit, valeat, talis ſuo commodo cogendus non eſt, ſed ſolum admonẽdus. ſi contemnat proprio nõ admonentis damno fiet. multi enim ſciunt lapidem, ſed regimem eius ignorant quod miro velamine obſcurarunt veteres:

vnde

vnde non mirũ ſi infiniti errent, non tantum in cognoſcendo materiam propriam & immediatam, aut eius electione, ſed multo plures in eius gubernatione. ex quo naſcitur tã paucos ad perfectionẽ peruenire. quare rectè cõſulit Philoſophus, vt nemo ſe huic arti intromittat ad inueniẽdam, niſi principium veræ naturæ, & eius regimen, agnoſcat. quibus cognitis, nõ pluribus indiget rebus, niſi vna ſola, nec magnas requirit expenſas, quoniam vnus eſt lapis, vna medicina, vnum vas, vnum regimen, vnaque diſpoſitio. Et ars per ſe facillima eſt ac facilitatis ratione, opus mulierum & ludus puerorum vocatur. nam reuera ſi quis in philoſophis verſatus, eorum obſcuros ſenſus intellexerit, verumque proceſſum ſemel inuenerit, rem ſe ipſam mutãtem, paruo labore exiguis expenſis ſuo temporis curriculo, ad perfectionem indies magis ac magis accedere percipiet. nihilq; hac arte facilius reperiet. nam recta via facilis eſt, quamuis à pauciſſimis reperiatur. Quicũq; igitur huic arti ſe totum dedicare decreuit, intelligere debet, duplicem eſſe in philoſophorum dictis obſcuritatem. vnam rerum,

 alte-

alteram verborum. res vti iam diximus, quia magnæ ſunt & diuinę ſub inuolucris docentur. vt niſi quis à Deo mentem illuſtratam habuerit, eruere ſenſum nullo modo poſſit. non enim decet tanta myſteria communia fieri, quæ ſapientiæ filijs tantum deſtinata ſunt. eam ob cauſam philoſophi fabulis, ænigmatibus, vocibuſq; ſingularibus vſi ſunt, ex quibus altera verborũ ſcilicet nata eſt obſcuritas: quam niſi quis illuſtrauerit, fruſtrà labores, ac temporis iacturam ſe feciſſe tardè deplorabit. Itaque vt ex Chymicorum lectione fructum aliquem quis capiat, primo ſcire debet,

Quæ ſint metalla aut mineralia philoſophorum.
Quæ ſint pondera philoſophorum.
Quid dies ſimpliciter ſit apud philoſophos.
Quid ſit dies naturalis apud eos.
Quid intelligant quando dicunt, claudatur vas cum cera & non cũ ſigillo Hermetis, è contra, claudatur vas ſigillo Hermetis.
Quid ſit calor ſiue ignis cinerum balnei, ſiue diſtillare per balneum vel cineres.
Quid ſit in fimo recondere equino.
Quid ſit in fimo recondere equino, vt ope-

re-

retur per ſui naturam.
Quid ſit reuificare materiam.
Quid ſit diſtillare per fimum.
Quid intelligant quãdo dicunt, ſicut aſcendit ita deſcendit.
Quid ſit reducere, vagulare & congelare.
Quid, ponere in putrefactione, & putrefacere.
Quid diſtillare per filtrum.
Quid exprimere per pannum ſpiſſum.
Quid calor æquilibris.
Quid lauare.
Quid intelligunt quando dicunt, ſicut moritur, eodem modo generatur.
Quid ſit ignis fuſionis,
Quid ſit quater in die reuificare materiã cũ medietate ſui de aqua.
Quid calor furni.
Quid exiccare & calcinare, & quomodo fiãt
Quid pariter decoquere.
Quid incorporare.
Quid diuidere in partes æquales.
Quid frangere vas ſiue vitrum.
Quid ſit vas terreum.
Quid perforare collum ampullæ.

Quid

Quid imbibitio.
Quid in vase recondere.
Quid assatio.
Quid fermentum & fermentare.
Quid distillare per tres dies, ter in die.
Quid sublimatio, & quomodo fiat.
Quid inceratio.
Quid inhumare.
Quid miles perforatus siue perforans.
Quid Gummi residuo imbuere.
Quid imbuere septies quousque duas partes sui bibat.
Quid singulis quatuor diebus mutare fimũ.
Quid mittere in stupha sicca per octo dies.
Quid intelligant quãdo dicunt, quoties solis toties solutionem sigillo Hermetis custodire oportet.
Quid intelligunt quando dicunt postea superpone de alia aqua recenti ad quantitatem materiæ vna vice.
Quid intelligunt quãdo dicunt materia per triginta dies debet inhumari, & singulis duobus diebus renouare fimum.
Quid mensis apud Philosophos.
Quid extendere supra pannum lineum.
Quid

Quid ſit trahere & piſare.
Quid crebris ictibus contundere.
Quid volũt quando dicũt,quod ſi nõ diſſol-
uatur, pone intus ſeptẽ partes aquæ eius,
vel plus, quia hoc eſt maximum ſecretũ.
Quid ſit os cum bitumine claudere.
Quid ſit exaltare addendo nouum humorẽ.
Quid imbibere ſpiritum.
Quid ſit ignis non ſuperans ſuam fixionem.
Quid colare per ſacculos lineos.
Quid leuis ignis æqualiter continuatus,
Quid fundere materiam.
Quid vaſe aperto diſtillare.
Quid in vaſe vitreo ponere.
Quid terere in mortario.
Quid congelare cum luto optimo,& dimit- (tere ſiccari.
Quid mouere vas optimè cum manu.
Quid deponere recipientem cum aqua di-
ſtillata,& firmiter claudere.
Quid plumas reſumere.
Quid alumen marinum.
Quid ignem concordare cum aqua.
Quid cinerem imbuere.
Quid quando dicunt, quouſque duas par-
tes ſui bibat ſimpliciter.

Quid

Quid auripigmentum vitriolum & arſenicum.
Quid numerus maior,minor & medius.
Quid euaporare.
Quid effundere totũ phlegma ſuperius natans.
Quid ſit dare tria pondera terræ, duæ aquæ, vnam aëris.
Quid quando dicunt, tunc pone ſuper illam de aqua quæ ſupernatet tribus digitis.
Quid ſit mercurium mortificare in terra ſalis,petræ,& vitrioli.
Quid, quando dicunt, vas ſit ſemiplenũ, vel tertia pars vaſis ſit plena duæ vacuæ.
Quid ponere in loco humido.
Quid ſit ſulphur externum & internum.
Quid ſit furnus calcinationis.
Quid ſit cum ſpatula ferrea mouere.
Quid cibare.
Quid capilli humani.
Quid apponere de vitro trito.
Quid deſcendere per botum barbatum.
Quid terere ſuper porfidum.
Quid

Quid piſare aurum ſupra marmor.
Quid ponere ſub dio.
Quid ſtratum ſupra ſtratum.
Quid ſublimatio cum fæcibus & abſque fæcibus.
Quid imbibere, inebriare, comedere.
Quid ſit ducere ad montes Arabiæ, vel ad montes Æthiopiæ, vel ad Ægyptum.
Quid ſit diſtillare cum quarta parte Mercurij.
Quid ſit terere cum modico ſalis armoniaci ſublimati, & ponere ad ſoluendum ſupra marmor, aut in vapore aquæ calidæ.
Quid ſit reponere mercurium poſt eius extractionem.
Quid terere cum ſale.
Quid leuigatio per aërem.
Quid ſit fugare.
Quid ſit ignis niger.
Quid carbo montis.
Quid aqua munda.
Quid petia ſpiſſa, vnde pone ss in petia ſpiſſa.
Quid comburere.
Quid lapis quatuor colorum.

Quid quando dicunt sublimetur lapis sine alia extranea re adiuncta.
Quid desiccare per calorem furni secreti.
Quid subtiliter puluerisare.
Quid claudere furnum & permittere refrigerare obstruendo phialam cum cera tepida, ne aliquid respiret, nec aër intret.
Quid sit vis informatiua.
Quid quando dicunt sit fermentum quarta pars æris nostri.
Quid imbuere ex vncijs tribus aquæ prædictæ.
Quid sit coitus.
Quid quando dicunt materia coagulanda cum parte vna rei mortiferæ.
Quid argentum viuum de cambar.
Quæ sint dura corpora & quæ mollia.
Quid sit ignem facere de vno ligamine.
Quid sit reddere animam corpori mortuo.
Quid sit acetum acerrimum.
Quid sit virtus tingens.
Quid sit quando dicunt, distilla donec quinquagesimam sui partem biberit, quod alij dicunt donec quatuor partes plus sui ponderis biberit.

Quid

Quid ſit ſaltus lunæ.

Quid intelligunt quando dicunt, multiplica reiterationes ſublimationis, ſic melius cõtinget ipſius fixionis tempus abbreuiare põdera, ſunt à duplo vſque ad quintuplũ.

Quid intelligunt quando dicunt ſcientes quod quoties cinerem imbuitis, toties debetis ſiccare.

Quid ſit per noctem abluere.

Quid quando dicunt, pone intus ſeptẽ partes aquæ eius.

Quid quãdo dicunt, ſi ex ſolo mercurio perficere poteris perfectiſſimi operis indagator eris.

Quid ſit ponere de noua aqua ad quantitatem terræ.

Quid ſit eleuare materiam ſine aqua vaſe aperto.

Quid ſit imponere nouam aquam recẽtem.

Quid ſit calor ſolis.

Quid ſit lutum turbidum & brodium ſaginatum.

Quid ſit claudere vas ne reſpirare poſſit.

Quid ſit corſufla & nummi.

Quid ſint ſex dies naturales.

Quid

Quid ſit acetum adijcere, vnde philoſophus cum ſublimatum fuerit ferrum in rubiginem vertitur, & aceto adiecto rubicundum colorem acquirit.
Quid quando dicunt, colligere materiam in recipientem.
Quid, quando dicunt, dimidia aqua diuidi debet æs.
Quid ſint vnciæ.
Quid quando dicunt, pone tantum mercurij vt ſupereemineat quatuor digitis.
Quid, proijcere in aceto diſtillato.
Quid, obturare vas cum panno lineo & non cum luto.
Quid quando dicunt nutrix eius terra eſt.
Quid quando dicunt, ſignum completæ digeſtionis, eſt quod medium Mercurij à terra diſtilaſti, quam impoſuiſti.
Quid ſit diminuere ignem de vnico puncto.
Quid ſit aurum noſtrum.
Quid furnus ſecretus.

Sunt multa alia apud philoſophos notatu digna, quæ breuitatis ergo præterimus, quia his

his intellectis, reliqua per ſe facilè percipi poſſunt. Et aliquando, ſi Deus voluerit, cum explicatione ampla prodibunt. Conſideret igitur vnuſquiſque, qui fieri poſſit vt quis in ſonu verborum hærens, voti compos fiat. quare diligẽter eiuſmodi dicendi tropi ſunt conſiderandi, vt quid per ea philoſophi intelligant, cognoſcamus, ſine quorum cognitione inutilis & vanus erit omnis noſter labor. At dices, quorſum hæc abſque explicatione traduntur? ſatius enim erat tacere, quã ſcribendo nihil ſcribere, vti Libauius philophis obijcit. Reſpondeo, indignum eſſe tanta myſteria omnibus proſtituere. Er hoc natura docet, vt multa de induſtria occultemus, nam ſi in apertum proferantur, & ſine diſcrimine quibuſuis communicentur, minus poſtea efficaciæ & virium habere videmus. id verò vt vitarent, laborarunt philoſophi, & nos etiam ſobriè hæc libenter indicare voluimus, vt apud multos inueterata falſitas innoteſceret, & ne ij qui chymicis vocãt, falſa ſcripturæ larua deluſi, ſe ipſos vlterius deciperent. nam oleũ & operã perdẽt ſi philoſophorũ inuolucra intelligere neglexerint

cùm

cùm ars p ſe facilis ſit,&facilitate ſua,ſi intelligeretur,multos alliceret:ſed eiuſmodi integumentis ornata implicitos ac perplexos tenet lectorum animos. quēadmodum *Voghelium*, qui de lapidis phyſici conditionibus non ita nuper ſcripſit Raymundus Lullius ſuo loquendi modo, detinuiſſe videtur .nam dum literam vrget, nec quid Lullius voluerit aſſequatur,neſcio quas nugas ſibi eſt imaginatus, vt philoſophos deſiderare dicat, in cōfectione lapidis corporis conuertēdi partem eſſe ponendam. vt verò hanc ſuam imaginariam opinionem confirmaret Lullij verba, quæ in practica noui teſtamenti cap. 22. habentur, producit: vbi inquit fili, quando vis facere medicinam, conſidera primo cui perfectioni præparationis ducere proponis, & ſupra quale corpus vis facere proiectionē, nam de illo corpore, ſupra quod vis facere proiectionem medicinæ, debes in ea ponere: hoc autem exēplo adducto ita explicat, vt ſi quis lapide phyſico plumbum in aurū, argētumue mutare voluerit, opus eſt vt plūbi ſubſtantiā,prius in eo miſceat,ita vt vnum ſimul fiant,& dum non animaduertit Lulliū

ibi agere de põderibus in opere ac præparatione necessarijs, fit vt secũdum sonum verborum sibi varia commenta fabricet. tanquã si de proiectione medicinæ iam perfectæ ageret, cùm nihil aliud quam præparationem doceat & pondera illius corporis obseruanda esse supra quod medicinam proijcere volueris, quod stanni & argenti viui exemplo abunde satis intelligentibus exprimit. sed relinquamus cæcos in suis tenebris dimicare, nobis clariori sensu ista describere, vt philosophis religio fuit, ita eorum leges violare, quibus adstricti & religati sumus minimè concessum est. Quare lector, his fruere, donec maiora Deus pro sua benignitate largiatur. Verùm antequã ad praxim accedamus, notatu quędam digna, hic silentio præterire non duximus, quorũ cognitio magnam lucem adferet ijs, qui in philosophorum libris versantur. deinde generalia totius artis axiomata proponemus.

Legimus apud Geberum de medicina primi, secũdi, tertij ordinis, quid verò per eas intelligat, diligenter obseruandum. neque enim in hoc æquum est sequi pseudochymi-

corum turbam, quæ eo quod particulatim quaſdam primi, ſecundi, tertij ordinis medicinas recenſet, quas experientia, verborum ſonum ſequens, nō comprobat, mendacem ac deceptorem fuiſſe arbitratur. verùm res multo ſe aliter habet. Etenim per medicinas quas deſcribit, pondera philoſophorum nobis inſinuare voluit. ac triplici illo ordine veram artem explicare, atq; ante oculos ponere. nam medicina primi ordinis eſt ab impoſitione materiæ, vſque ad primam natiuitatem lapidis, tres enim natiuitates eſſe in lapidis confectione ſciendum eſt, prima autem natiuitas comprehendit ferè omnia imperfecta metalla, & tunc dicitur, cum mercurius vegetabilis ortus eſt, & de illo intelligũt philoſophi, quando dicunt, accipe mercurium. vocatur & cœlum, anima, mercurius vegetabilis eductus à duobus corporibus liquefactis, nimirum ſolis & lunæ. Et hæc medicina non tingit, quia primi ordinis tantum eſt. Secunda medicina eſt à fermentatione prima quæ fit cùm luna limata ad ſubtilitatē vſque ad rubedinem. & hæc imperfecta corpora ſola perfectionis vnica differentia com-

plet.

plet. nec diuersificatur, hæc medicina (v dicit Geber) à tertij ordinis medicina, nisi per minoris prȩparationis imperfectionē. Tertij ordinis medicina est à fermentatione secunda quȩ fit auro optimè limato, donec sit perfecta, & hæc est fortitudinis fortitudo fortis, quæ tingit in infinitum. prætérea animaduertendum sulphur duabus vicibus fieri nigrum bis album & bis rubeum.

Sequuntur axiomata *chymica.*

Axiomata Chymica.

LApidem vegetabilem, animalem, & mineralem, vnum & idem esse, ex spiritu, anima, & corpore cōstantem, & in vanum laborare, qui ab illo vno errauerit, constanter affirmamus.

Hunc lapidem, quia vegetatur, animatur, & mineralis est, stolidos homines triplicem cōstituisse asserimus: indeque fieri, vt imperiti philosophorum scripta secundū sonum verborū intelligētes, lapidem vegetabilem, animalem, ac mineralē, cōficere frustra satagent

Hunc lapidem vnum,& ſolum,ex vnico, & ſolo,indiuiduo ſubiecto, præparari debere,cũ omnibus philoſophis cenſemus.quod in omnibus, & per omnia, ſimile eſt illi materiæ qua natura in terræ concauitatibus vtitur ad metallorum procreationem.

Subiectum lapidis, & philoſophorũ, duo eſſe, res ipſa comprobat.cùm hoc generetur ab illo.

Lapidis ſubiectum, nihil aliud eſſe quam mercurium, ſpermata philoſophorum cõtinentem,clarius eſt quam vt à quoquam probari debeat: Et mercurium azocheum eſſe philoſophorum ſubiectum.

Lapidis ſubiectum, diuidi debere in quatuor elementa, vt melius depurari queat, ſatis patet. verùm ſenſibus noſtris nõ apparere niſi duo,nimirum terrã,& aquam, & reliqua cogitatione intelligi.

Duplicem eſſe elemẽtorum diuiſionem, vnam quæ in duo diuidit, nimirum aquã,& terram: alterã quæ omnes ſeparatim diſtinguit,nouerunt artis periti.

Terram vocari corpus,& mercuriũ aquã apud philoſophos inconfeſſo eſt.

Cor-

Corpus diſſolui debere in mercurium, ex quo proceſſit, omnes fatentur. vti neceſſariã eſſe ante ſolutionem, corporis diſſolutionẽ.

Diſſolutionem fieri in alieno, ſolutionem in proprio, artifices duræ ceruicis non intelligunt.

In diſſolutione corporis creare elixir, hoc eſt conuerti corpus in aquam mercurialem, in ſolutione verò azoch generari, hoc eſt philoſophorum ſubiectum, nimirum ſpiritum animatum, in quo latet virtus mineralis, nouerunt Hermetis filij.

Diſſolutionem, ac ſolutionem, ignis beneficio fieri, docti pariter atque indocti concedunt.

Hunc ignem philoſophos quadruplicem agnoſcere, nimirum elementalem, naturalẽ, innaturalem, & prętcr naturam, omnes communi conſenſu docent. ſtulti verò qui iſta non aſſequuntur, quatuor ignis gradus ſibi proponũt, in vana, ac inani imaginatione, potius quam in rerum eſſentia exiſtentes.

Quemadmodum poſt corporis diſſolutionem, fit aqua permanens, ita poſt eius ſolutionem, fieri elementorum coniunctionem,

 nul-


nullus ambigit. vt ablutio Elementorum, fit per præſentiam ignis, ita ablutorum coniunctio, fit per eius abſentiam.

Coniunctionem philoſophicam, vti & fermentationem, duplicem penes philoſophos agnoſcimus, & vnam fieri cum labore, alteram cum requie, vnamque præparare, alteram perficere.

Septem aſſaturas ad lapidis confectionem præcipuas eſſe dicimus.

Qui iſta capiunt, vt filios Hermetis amplectimur, atq; exoſculamur. reliquos hortamur, vt detrectare deſinant, & doctos colant, ac meminerint, multos ad ſapientiam peruenturos, niſi ſe iam perueniſſe arroganter putarent. Nunc ad praxim accedamus.

Praxis.





Praxis.



TOTUM nostri operis regimen consistit in igne, materia, vase & clausura. materiã iam exposuimus, vas vnicum est oblongum, materiæ tamen proportionatum. clausura Hermetica: operatio siue ignis sciẽti facilis, ignoranti difficillimus. ignium enim scientia (vt inquit Senior) mirabile munus est, & homines qui operantur in ista scientia, sunt decepti magis in regimine ignis, quã in alia re, quia nesciuerunt tẽperantiam ignis. multi etiam sciunt ignem, sed regimen eius ignorant, in quo iacet tota perfectio.

Hic rursum lectorem admonitum esse volumus, erroris Bernardi illius à Portu Aquitani, qui vt rectè in sua quadam præfatione, totum arcanum in gradu caloris consistere asseruit, ita ineptissimè sui oblitus ridet quæstiones de tẽpore propositas, à pseudotẽporistis (ita enim eos vocat qui solidiori doctrina

imbuti rationes temporum exactè perquirunt) tanquam si gradus ignis absque tẽporis respectu distingui possent. in quo certè quam turpiter errauerit, ac suam in Chymicis ignorantiam prodiderit, multorum philosophorum obuiæ sententiæ passim declarant. quas libenter breuitatis gratia præterimus, cum solus author clangoris buccinæ eum erroris conuincat. vbi dicit: Non ergo te tedeat prolixitatis repetitionis, contritionis & assationis, &c. nec video qua ratione ductus temporis considerationem contemnat, nisi ex eorum sit numero, qui videri magis quam esse periti malunt, præstantiusque credant aurum ementiri quam possidere.

Cùm igitur præcipuum secretum in hac arte consistat in igne, cuius gradus secundũ temporis spatium reguntur, certè qui tẽporis rationem negliget gradus ignis obseruare minimè poterit. nã vt dicit philosophus, emolumentum ac detrimentũ operis nostri diuini vtrumque prouenit ex administratione ignis, qui sciuerit ignem sciet totum magisterium: & qui ignorauerit non laboret in nostris libris. hactenus de igne. nunc ad ope-

ratio-

rationem accingamur. non tamen existimes nos offam præmansam, sed masticãdam tibi in os ingerere. Considera ergo ex ijs quæ tibi apertè satis tradũtur, quid naturæ magis sit consonum, & quomodo natura, cuius tu minister es, calore lento, ac æquali omnia metalla in penetralibus terræ excoqueat, ac ad perfectionem ducat.

Sed in primis animaduertendum, nostram operationem nihil aliud esse quam soluere & coagulare. vnde Morienus, nostra operatio (inquit) nihil aliud est quam extractio aquæ à terra, & eiusdem supra terrã remissio, donec putrescat. Lullius quoque dicit, magisterium nihil aliud esse quã resolutionem vnius, & congelationem alterius, vel mortificationem vnius quæ est spiritualis, & viuificationem alterius quæ est corporalis. nam quocunque modo lapis sit dissoluendus, eodem modo esse componendum constat. In summa, natura nihil aliud requirit ab artifice, quam vt philosophicus Adam in mercurialem substantiam adducatur, ac demum in orientalem solarem aut lunarem lapidem enascatur, quod vt fiat, fac vt sequitur.

Mate-

Materia iam cognita ac vaſi recondita, moderato calore tam diu foueri debet, donec ad bullam martis perueniās, quæ in medio ſulphuris apparebit, quod plerunque in calidioribus regionibus fit octauo aut decimo die ab impoſitione materiæ, in regionibus verò frigidioribus non certum obſeruatur tempus propter aëris inclementiam.

Et quia in apparitione bullæ martis materia congelata conſpicitur, ſoluenda erit tribus vicibus, vel tam diu donec per illum gradum caloris oculi piſcium appareant, per totam materiam in ſuperficie diffuſi, quod plerumque fit decimo-quarto, aut vigeſimo die in locis calidioribus, in frigidioribus verò tardius ſe produnt, nec certum definiri poteſt tempus, ſed illis apparentibus augere oportet ignem quouſque dictis bullis vndique ſupra materiam natantibus, vas ſit repletum: & notandum, has bullas aliquando eſſe adeò paruas, vt vix viſu percipi queant, quæ tunc non ſolæ, ſed vna cum viriditate apparent in modum lacertæ viridis, aliquando ipſa viriditas prçcedit, poſtea ſubſequuntur bullæ.

Quan-

Quando igitur ad oculos piſcium perueniſti, materia ſoluta reperitur, quare calcinãda erit vt arida & ſicca fiat, & oculi piſcium euaneſcant ac aqua in colore cœli, clara & munda appareat, quod non ſemper contingit, ſed ſufficiat oculos piſcium euanuiſſe, nam tunc ſignum eſt, materiam eſſe exiccatam, quia oculi piſcium ſuperfluam humiditatem indicant. Et per illam calcinationem deſtruitur omnis ſulphureitas defœdans, & comburens, quæ ſine ignis vehementia deleri non poteſt. modus vero calcinationis iſtius eſt, vt primo lento igne, non ſuperante ſuam fixionem, illas euapores humiditates, quæ cum corpore coagulari nõ potuerunt, quamobrem, ſi ab initio dares ignem turbatiuum, antequam humiditas eius euanuerit, & corpus in fundo vaſis exſiccetur, ſine dubio totum periret opus, ergo cum diligentia maxima iſte ignis eſt exponendus, vt ſpiritus ille humidus, primo ab eo corpore euolet, & materia remaneat ſicca, & ab omni humore vacua. Et notandũ, quod quicunq; fecerit calcinationem cuiuſcũque corporis,

rema-

remanente humore, hic iam errauit. quia dicitur extractio humiditatis corrumpentis, in calcinatione, & post hoc intromissio alienæ humiditatis igneæ, per quam erit essentia, & vita eorum, & hæc est calcinatio prima, in qua remouentur duæ humiditates, videlicet frigida & aquosa.

Exsiccata materia ablatisq́; oculis piscium denuo soluenda est, postea in fimo equino condenda donec per sui naturam operetur. quoniam sunt fumi subtilissimi & temperati indigent decoctione, vt in se ipsis inspissentur, & hoc fit vt scis & notum est expertis.

Post sequitur coitus, hoc est solutio luminarium, vel vt propriè loquar, liquefactio. nā vera & vniuersalis solutio, fit post putrefactionem in nigredine. hæc tamen liquefactio, est fundamentum totius magisterij, quia fit menstruum nostrum: quamobrem in hac solutione, super omnia cautela erit adhibenda, ne ascendendo modum excedas. quoniā in liquefaciendi solutione cōsistit arcanum totum, & naturæ alteratio. Et est prima mixtio & coniunctio corporum & spiritus. Et tūc virtus informatiua hoc est masculi semē

infusa est in matricem fœmellæ.

Per hanc liquefactionem siue solutionem corpora ad naturam primam reducuntur & miscentur cum spiritu, fiuntque vnum cum eo: Et duorum luminarium liquefactio, fit cum congelatione sublimati spiritus & coagulatio sublimati spiritus fit cum solutione duorum corporũ, luminarium & non aliter.

Quare sciendum elixir non fieri nisi solis & lunæ cum mercurio fiat incorporatio. misceantur ergo ac figantur, cum ingenio subtili, & ad primam suam deducantur materiã siue naturam, quæ est aqua viscosa vt brodiũ saginatum, varijs coloribus sanguineisq; venis aspersum, & scias pro certo, quod ista est aqua, quam tantoperè occultarunt philosophi, ex qua fiunt eorum metalla, nam naturalis spiritualisque subtilitas per frequentem solutionis reiterationem augetur & completur: & nisi dissolutio ista præcedat cæteræ omnes distillationes, sublimationes, tam per fimum equinũ, quam per filtrum aut alembicum, inanes erunt. quare secundum Lullium, fiat digestio per sex dies naturales, & aurum dissoluetur in aquã in colore croci.

Patis

Patiens ergo ſis coquendo, reiterãdo, quoniã quo magis teris, eo magis mollificas, atq; groſſum ſubtilitas. ſic enim cũ corpore ſpiritus impaſtantur, quæ autem impaſtantur, ex toto reſoluuntur. & hæc impaſtio fit cũ aſſatione, & longo tempore durat, quia magiſterium non perficitur, niſi tota terra ſoluatur. ergo patientiam ſuſtine, pluribus reiterando vicibus, nam quo pluribus vicibus medicina ſoluitur, ſubtiliatur, & congelatur, eo magis ſubtilior efficitur. Et ſic per iſtam duorum luminarium cum mercurio & per mercurium ſolutionem factam, fit de pluralitate vnio. perfice ergo omnia tempore ſuo, vt dictum eſt, donec peruenias ad Brodium ſaginatum (quod philoſophi vocant.) varijs coloribus & ſanguineis venis aſperſum, quod eſt prima materia metallorum.

In hac diſſolutione ſiue mixtione maſculi cum fœmina, videbis totam materiã colore ſanguinis, cum herbacea quadam viriditate, ideo opus eſt congelare, quod toties cõtinuabis, donec materia appareat viridis vt lacerta. & hæc viriditas indicat imperfectã digeſtionem, & per cõſequens etiam imperfectã

diſſo-

diſſolutionem. ideo alia ſolutio & alia digeſtio cum inhumatione in fimo & putrefactione eſt neceſſaria. diſtilla ergo donec viriditas euanuerit, quia in illa latet aqua phlegmatica in qua ſtat mortificatus ſpiritus, quæ ſi non auferretur, ſuffocaret ſpiritum lapidis.

Ablata viriditate, congelatio & diſtillatio toties continuandæ ſunt donec appareat nigredo, hoc eſt caput corui. Hæc nigredo eſt oleum natans ſupra menſtruum poſt metallorum diſſolutionem, & à partibus inferioribus prodire conatur. ideo in turba dicitur plumbum pro pinguedine: verùm non eſt adhuc perfecta nigredo, ſed ſignum tantum vniuerſalis diſſolutionis futuræ. & eſt veluti oleum quod ſupernatat, & vocatur ignis niger. & quia eſt principiũ nigredinis, & debet iuuari vt nigredo per totum vitrũ producatur, ac perfecta diſſolutio ſequatur. ita vt tota materia nigra & obſcura fiat. modus iuuãdi eſt diſtillare contrario modo quam ſupra feciſti, & cõtinuare donec vniuerſa materia ſit vt pix liquida. tunc primũ ſignũ eſt quod eſt fuſa & diſſoluta, eſtque vera diſſolutio vniuerſalis, quæ vocatur Saturnus.

Et cùm ad ſummam perueneris nigredinem, tunc extrahenda eſt tinctura, quia à capite corui, ad ſupremam vſque nigredinem, nihil feciſti præter quam habilitare materiã, ad extractionem tincturæ. vnde Archelaus in turba dicit, niſi ſpiſſa corpora diruantur, à natura corpore carente, donec corpora fiant incorporea, veluti ſpiritus tenuis, nõ poteritis illam animam tenuiſſimam, ac tingẽtem extrahere, quæ in intimo ventris occulta eſt. Et ideo præceptum attulimus, vt à capite corui, ad ſupremam vſque nigredinem, habilitetur materia, vt ſpiritus tenuis fiat, leni igne, quouſque anima tingens, operi noſtro conueniens, extrahatur ad libitum. Et terra iſta nigra eſt ignis, & calcinatur ipſa vt candeſcat, & ſuum oleum omnino recedat, ita quod ab omni pinguedine priuetur. ne ab opere bibendi impediatur, & vt fiat ſicca quæ prius humida fuit, & hac ratione ſemper ſeparatur ſubtile à ſpiſſo.

Moderato igitur calore congelanda erit materia, tam diu donec circulus cinerei coloris appareat. quod ſignum eſt incipiẽtis albedinis & quod materia ſicca eſt. Et iſte circulus

culus apparet ad latera vasis in circumferentia, qui indies crescit & augetur donec totam superficiem occupauerit, ac nigredinem expulerit, & tunc vocatur Iuppiter siue stannum, vnde in turba dicitur stannum pro albedine. dicitur etiam calcinatio.

Cùm ad circulum album perueneris, cōfestim antequam ad vasis latera materia adhæreat, fundas eam quinquies aut septies cum æquali pondere sui, de aqua. sic enim corpora calcinata mollificare oportet, posteà repete omnia, quæ in capite corui fecisti, donec nihil ascendat, totaque nigredo euanuerit, nihilque remanserit de nigredine, liberataque sit materia ab omni inquinamento, totaque sit in toto vase in colore albedinis brunæ, veluti si ferrum esset aliqua rubigine obductum, ideo etiam à nonnullis vocatur Mars.

Brunitate apparente denuò cōgelandum, donec videas materiã mollem instar mellis, & tunc mutabitur in colore mirabili, instar iridis ac cœlestis illius imaginẽ referet, & vocatur secunda viriditas, dicitur etiã flos æris.

Et quando peruentum est ad hoc signum, tunc philosophus incipit laborare, & materia est veluti pinguedo.

Tunc debes sublimare, quia materia propter pinguedinem & oleoginositatem nō facile ascendit, hac sublimatione abstrahitur anima à terra. quæ sublimatio continuanda erit donec materia ex cōtinua sublimatione defatigata, eleuari renuat, sed in fundo manens liquida, & immobilis, tanquam delassata, fluctuet. & tunc reiteranda est sublimatio sine fœcibus.

Peracta sublimatione, materia reducenda est & congelanda, vt anima depurata, & alba cum corpore coniungatur, & tunc vere dicitur terra calcinata. nam anima extrahitur à nigredine, & albedo est anima quæ seminatur in terram calcinatam. hęc coniunctio debet fieri contrario modo quam supra fecisti, & sic continuare donec appareat cauda pauonis.

Apparente cauda pauonis quæ venus dicitur, materia debet paulatim incerari, & pręparari ad sublimationem, nam cùm materia sicca sit, necessario mollificari debet, quod in-

inceratione prȩſtatur, quæ tam diu continuari debet, donec cauda pauonis euaneſcat, & tunc apparebit tibi albedo altera ſed non vera. & ſignum eſt materiam eſſe præparatã & diſſolutam, aptamque ad ſublimationem, & quia nondum habes veram albedinem, ideo ſublimãdum vt artis eſt, per viginti quatuor horas. deinde coagulandum per quadraginta ſex dies naturales. alij tantum 40. ponunt. nam vt inquit philoſophus, ſciendum, quod in 40. diebus & noctibus completur opus ad album, poſt veram purificationem lapidis. quia in purificatione non poteſt eſſe tempus determinatum, niſi ſecundum quod artifex benè laborat.

His peractis, inuenies materiam congelatam, & eleuatam circa vitrum, ſed in medio erit decliuior, & innatabit oleũ album ſuper aquas, & ratione olei dicitur congelata, & illud oleum album ſeſe effert à partibus inferioribus, & ſeparat ſe à fœcibus quæ remanent in fundo, & nota quod illud oleum album, ſiue albedo, non durat niſi per ſpatium duarum horarum, & niſi ſtatim, vbi apparet, receperis eam, ac intercluſeris illi iter, ne re-

trocedat, ac cum fœcibus denuo miſceatur, euaneſcet, & in vanũ expectabis quod euanuit. quocirca ſtatim vbi apparet, ſublimabis, vt educatur anima à fæcibus ſuis. & hoc cõtinua, donec materia in ſumma albedine fluat, inſtar ceræ abſque fumo, & hæc eſt vera albedo.

Vbi perueniſti ad veram albedinem, habes mercuriũ, de quo ſcribunt Philoſophi, quãdo dicunt: accipe mercuriũ, &c. vocatur etiã ab eis mercurius vegetabilis, cœlum, anima, & mercurius eductus à duobus corporibus liquefactis, nimirùm ſolis & lunę. dicitur etiam ortus lapidis & medicina primi ordinis.

Tunc aperiendum vas, & decapulanda ſenſim à ſuis fœcibus materia, quæ in fundo manebunt, & quartã materiei partem æquabunt. effuſa materia in aliud vas, fermentabis illam luna optime limata, donec medietatem ſui ponderis imbiberit: tunc claude iterum vas ſigillo Hermetis.

Sigillato vitro, calore regenda erit materia, donec omnes colores ſupradictos rurſum præterierit. nã denuò nigreſcet vt prius, ſed non adeo intenſa nigredine, imò potius fatu-

ſaturata rubedine, calor verò continuari debet donec ille color euanuerit & materia ſit ex ceruleo alba, & tandem albedo perfecta, ſicut nix ſuccedit, tunc ſi vis, potes aperire vas, & habebis medicinam ſecundi ordinis, & dicitur luna philoſophorum.

Verùm ſi mortificaueris eam ſuo ſulphure per 40. dies donec citrinitas in medio appareat, vt ſic iter ad rubedinem arripias, melius facies. Hæc citrinitas debet calore iuuari, vt vniuerſa materia eiuſdē ſit coloris, tunc continuādo ignem citrinus color euaneſcet, cui ſuccedet rubedo ſanguinea, verū antequā ad veram rubedinē peruenias apparebit albedo quædam inſtar ſemilunæ, ſed nō durat, nam ſtatim ſuccedit rubedo ſanguinea.

Tunc oportet te creare ſulphur, cuius dies critici ſunt 90. dies, quibus exactis materia erit eleuata inſtar duorum mōtium, & illi duo montes non durant niſi per duas horas, eo tempore ſis diligens, ne opus pereat, & vt in albedine feciſti, memor eſto te id ipſum hic præſtare debere, idque continua donec fluat vt cera abſque fumo, tunc abſolutū erit opus & habes ſulphur ſiue aurum philoſophorū.

Tunc aperiendum vas, vt fecisti in ortu lapidis, & separare debes materiam à suis fæcibus, eodem modo vt antea fecisti. fæces verò erunt in minori quantitate, quam in albedine fuerant. materia igitur effusa in aliud vas, fermentanda est auro optimè puluerisato. vna pars sit ad tres medicinæ, & tunc materia fiet viridis, nec opus est amplius sigillare vas, sed sufficit panno lineo obturare, & sic ponere supra furnum, dando ignem moderatum, donec materia fuerit sicca, ita vt nulla humiditas in ea amplius appareat, sed fundatur vt cera.

Postea sensim decapulanda est materia, vt fęces in fundo relinquantur: & rursus ponas ad ignem, & experiaris an medicina funditur vt cera absque fæcibus, quod si perspexeris adhuc aliquas fæces, denuò decapulāda, vt planè ab omni fæce separetur. id toties reiterandum donec nullæ fæces in fundo relinquantur, & medicina sit rubecundissima fluens vt cera. & tunc habes medicinam ad summum gradum perfectionis reductam.

Notandum, quod huic medicinæ perfectæ, singulis 30. diebus debes addere quinqua-

quagesimam partem sui ponderis de luna limata. nam cùm medicina hæc sit ignis, necesse est vt singulis 30. diebus cibetur, esurit enim ac cibum appetit. & hac ratione multiplicabis tuam medicinam per se absq; igne. nam conuertet totam lunam quã illi adiunges in sui naturam, & sic habes medicinam perfectam & multiplicabilem. sunt & aliæ multiplicationes, quæ quia ex authorum libris haberi possunt, hic non recensemus. restat vsus medicinæ, tam ad sanitatem quã ad metalla. quę omnia apertè satis describuntur ab alijs.

Vsus sum compendiosa quadam dicendi ratione, ita vt nec contemptoribus despectui ac irrisui, nec inertibus obuia, nec cupientibus ignota esset. & quamuis liber mole exiguus videatur, potestate tamẽ maximus est. tum ob rei præstantiam, tum etiam si quæ in praxi breuiter scribuntur, veterum authoritatibus confirmare voluissem, in immensam magnitudinem excreuisset opus. Scio etiam in hac praxi quædã deesse, quæ de industria silentio transigere volui, propter fallacium artium discipulos, quibus artem prostituere

 nolui.

noluimus. cùm enim quam non viderunt hactenus, nec ferre lucem valent, nec alios videre permittunt, ſed contra ſcriptores antiquos calamũ arripientes, nõ probabilibus rationibus ex arte deductis, ſed calumnijs ac iniurijs omnia turbent, in eorũ nebulis eos cæcutire libenter permittimus. Hoc tantùm ſcripto, beneuolo lectori, mentis oculos aperire placuit. vt in legendis libris videat quo tendere debeat. Conſidera itaque lector, ea quæ diuerſò ab antiquis progreſſu non contrario ſenſu traduntur. & clarè quæ tibi prius obſcura videbantur, perſpicies. indignis enim hæc impartiri nefas. His finem dicendi faciam, modò hoc vnum admonuero, neminem artem abſolutè tradidiſſe: principiũ & finem pleroſque omiſiſſe, multos à Saturno, alios à Ioue, nonnullos à ferro, dicendi exordium feciſſe. His prǫludijs fruere, & ora Deum, cuius fauore breui plura (vt ſpero) habebis.

Adhuc

Adhuc peritiam eam diuinam breuibus & cum miro ingenio comprahendere lubet, ſed dum breuis ſum, obſcurus fio.

ACcipe lapidem quem noſti, diſſolue in ſuo lixiuio, donec fluat vt aqua, huius cape vncias quatuor, ſulphuris viui vnciam vnam, miſce ſimul, vt artis eſt, ac lento igne exiccetur aqua, id toties cõtinuandum, donec ſulphur prægnans luxum ſui humoris faſtidiat. eadem ratione aggrediendum erit ſulphur, quæ duo ſic animata & coniuncta, ac in ouo phyſico decocta, donec ſanguinea rubedine decorata prodeant, finem optatum labori tuo imponent. quem breui conſequeris, ſi conſtans fueris, & Deum propitium habueris.

FINIS.

Conclusio.

HÆc habui quæ ad calumnias Libauicas, quantum res postulare visa est, responderem. Quanti autem pōderis nostra hæc responsio esse debeat, ad eos refero qui veritatem humanis somnijs præferunt, manifestèque vident chymicas operationes nihil cōmune habere cum miseris istis carbonarijs aut ciniflonibus, nil nisi sulphur ac vapores noxios redolentibus. Itaque te (Lector) moneo, atque etiam obtestor, vt omni errore deposito, ad veram chymiam ab antiquis descriptam, & inani illa qua hactenus delusus es, veri imagine relicta, veram illam ac vnicam phœnicem amplectaris. est enim thesaurus nullo vnquam thesau-

ſauro redimendus, ad vitam ſanam tuendam & recuperandam, vberrimus. qui nedum ipſos medicos, verùm etiam quoſcunque, & cuilibet profeſſionis viros, & ſuæ & aliorum ſanitatis ſtudioſos vehementer oblectet, tum ob raritatem & doctrinæ ſoliditatem, tum etiam vtilitatem, quæ cuique pauca vel nulla impenſa obtingere poteſt. Si veterum ſcripta obſcura ſunt, & magis intricata quã vt ingenio aſſequi valeas, non repræhendas quæ non intelligis niſi perpetuum tenebrarum mancipiũ manere exoptes. omnis enim palliata virtus in exitioſiſſimum finem tãdem tendere debet.

Errata.

In epist dedicatoria fol. 2.lin. 10.lege sagacium. fol,7.li 7. lege dices. fol.18. li.20.lege argutis. fol.19 lin.4.lege conareris. fol.20 lin.25.lege fecisti. fol.23.lin.15.lege Sardanapalis fol.25.lin.22.lege mangonio.fol.36.lin 24.lege subiecto.fol 42.lin.19.lege possidere. fol.42. lin. 20.lege producere. fol 43 lin.25. lege humanus. fol.67. lin.6. sed quia non desunt vobis dicere *crisphygeta*, lege sed quia non desunt vobis crisphygeta dicere posses. fol.85,li 25.perripitur,lege percipitur, fol. 88.lin.25. si re ipsa manet,lege si re ipsa manent. fol.111.lin.5,græcum lege *apophrades*. fol. 113. lin. 6. antiquam lege antequam. fol.113.lin. 20. innitatur lege imitatur. fol.115.lin.17.lege veneficii.fol,127.lin.4. & salutem lege ad salutem. fol.128.lin.17.sententiarũm lenitate, lege sententiarum leuitate. fol.131.li 3.pollicererent, lege pellicerent. fol.147.lin.15,lege excitat.fol.150.lin.22.lege ac euasere. fol 161.lin.7.viuamẽtis,lege iuuamẽtis.fol.166 lin.21.fedandis lege sedandis. fol. 191. lin. 6. vtilitate lege vtilitati. fol 201.lin.21.simirum lege simiarum.fol.211.li. 8.tanti fiat,lege tanti fiant.fol 231.lin.22.eum linguis.lege cum linguis fol,236.lin.5.adferre posit,lege adferre posset. fol.257.lin 7.lege Aeternitas. fol.252.lin.3.immunita lege imminuta. fol.253.lin.1.lege χυμῶν fol. 270. li. 7. edidisce lege edidisse. fol.278.calorem lege colorẽ. fol.300. lin.4.quæ natura lege qua natura. fol.306. spermata lunæ, lege luna. fol.308.in proportione & miscibilium, lege proportione miscibilium.

In usum Doct. Ferrucii.
7. 1/8 1604.